



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio IV. De Infinitate ac Im[m]ensitate Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](#)

in 3. sentent. distinct. 6 quæst. 2. artie. 3. ad 1. & indicat S. Augustinis lib. 6. de Trinitat. cap. 8. vbi ait: *Cum creatura adhærescit creatori, illa sit maior, quam erat, non ille.* Ratio est. Quia melius bonum, & maius bonum, intentionem perfectionis, & bonitatis, non solam pluralitatem significant; cum tamen diuina bonitas qualibet accessione, aut coniunctione creatæ bonitatis, intendi nullo modo possit, nec ex utraque simul bonitate, intensius bonum constitui; tum quia sunt diversissimæ plane rationis, ac generis; tum quia bonitas creatæ habet se ad diuinam ut punctum ad lineam,

quaæ accessione puncti non sit maior, vt recte S. Thomas cit. dist 6. Tum quia Deus vñ eminetissimè habet rationem, & perfectionem omnis boni creati, cui proinde nihil addi potest perfectionis, quod non in seipso antea habeat. Plura igitur quidem illa sunt bona; sed non maius bonum; alias admittendum esset CHRISTVM DEVM & hominem esse quid melius, & perfectius Patre, & Spiritu sancto; quod ne dicam impium, certè temerarium, ac periculosum esset assertere, inquit Molina loc. cit.

## QVÆSTIO IV.

### De infinite ac immensitate Dei.

S. Thomas I. p. q. 7. & 8, aa. 8.

**A**bsolutetur hoc quæstio quatuor dubitationibus. I. An, & qua ratione Deus sit infinitus secundum essentiam; & in quo hæc infinitas Dei consistat. II. Vtrum possibile sit infinitum actu, sive secundum multitudinem & numerum; sive secundum magnitudinem & extensionem. III. An, & qua ratione Deus sit immensus; & ubiqꝫ praesens. IV. Vtrum Deus sit etiam in spatiis aliquibus extra cœlum.

### DVBIVM I.

*An, & qua ratione Deus sit infinitus, secundum essentiam; & in quo hæc infinitas DEI consistat.*

S. Thomas I. p. q. 7. a. 1. & 2.

**N**on est hic quæstio de infinite molis, seu quantitatis corporeæ, qualis in Deo nulla est; nec de infinite incomprehensibilitatis, aut æternitatis, vel immensitatis, aut etiam potentiae, aut cuiuslibet attributi diuini, quantum singula in suo genere, & sua quadam ratione infinita sint; sed de infinite perfectionis Dei in essendo; quæ dicitur infinitas per essentiam, sive secundum essentiam: de qua queritur & quæ ratione Deo conueniat, & in quo proprie ac formaliter consistat.

Assertio. I. Deus est infinitus actu in essendo, sive secundum essentiam. Ita S. Thomas q. 7. art. 1. ac ceteri Doctores in 1. dist. 43. & est de fide ac extra controuersiam; et si S. Bonaventura in 1. dist. 43. art. 1. quæst. 2. solum dicat, id esse magis consonum fidei. Patet ex Psalmo 144. vers. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Baruch 3. vers. 25. *Magnus est, & non haber finem, excelsus & immensus.* Idem passim docent SS. Patres. S. Damascenus lib. 1. orthod. fid. cap. 4. attributa & perfectiones diuinæ commemorans ait, *Deum esse, infinitum &*

*eternum, & incircumscribilem.* Et lib. 1. cap. 12. ait, *Deum esse quoddam pelagus substantia infinita.* Sed & omnes antiqui Philosophi dixerunt, primum principium esse infinitum; licet quidam ut in ratione speciali primi principij errarunt, ita etiam errarunt circa infinitatem, quam tribuerunt primo principio, dicentes aliquid corpus infinitum, esse primum principium, vt notauit S. Thomas ibidem. Idem colligitur ex cap. Firmiter, de sum. Trinitat & fid. Cathol. vbi tamen expresse non ponitur attributum infinitatis, sed immensitatis; quæ se mutuo consequuntur.

Rationes adducuntur apud Aristotelem lib. 3. physic. c. 4 t. 30. ex mente etiam Anaximandri, & naturalium Philosophorum: item apud S. Thomam I. cont. gent. c. 43. Scotum in 1. dist. 2. q. 1. Nyphum in lib. de infinito primi motoris, aliosque Metaphysicos lib. 12. Metaph. quos etiam ex parte examinat Molina hic q. 7. vbi addit, plerosque credere, infinitatem diuinæ essentia nondum rationibus naturalibus esse demonstraram, sed tantum fide, ut rem certam teneri. Verum multo verius est, rem hanc quoque evidenter demonstrari esse, non quidem singulis quæ afferentur rationibus nam & eam, quam affert S. Thomas hoc loco, plerique esse evidente ac firmam, negant sed indefinite hæc vel illa.

Mihi quidem optimæ videtur illæ, quæ petuntur ex ipso conceptu diuina essentia. Prima. Deus est ens per se ac per suam essentiam: Ergo ens illimitatum, adeoque infinitum. Consequentia probatur. Quia quicquid limitatur, a sua causa efficiente limitatur, a qua esse determinatum ac limitatum accipit; vt non solùm inductione patet, sed etiam ipso lumine naturali. Limitare enim

enim causalitatem dicit causa efficientis; nec via ratione fieri potest, vt aliquid seipsum quoad essentiam limitet. Secunda. Deus est primum ens, & prima causa effectiva in actu primo, ac independens, rerum omnium, tam existentium, quam possibilium: Ergo in sua essentia, eminenter continet perfectiones rerum omnium, tam existentium quam possibilium; adeoque totum esse rerum omnium: Ergo in omni genere Entis est infinitus: adeoque simpliciter infinitus. Tertia. Deus est actus purus, expers omnis potentialitatis: atqui si Deus esset finitus, iam hoc ipso non esset actus purus, sed ens aliquo modo potentiale, utpote capax vltioris perfectionis; quia ad finitum semper fieri potest accessio, plura apud citatos.

Vnde colligitur, non audiendos illos, qui apud S. Bonaventuram in 1. dist. 43. art. 1. quest. 2. dixerunt, vel Deum non esse infinitum secundum essentiam & potentiam; vel D E V M esse, quidem nobis infinitum, sed secundum veritatem, ac sibi ipsi non esse: qui tamen, vt apparet, potius in modo loquendi, quam re ipsa errarunt; respicientes duntaxat vel ad modum infinitatis, ex parte comprehensionis, vel ad actualem rei multitudinem, sive extensionem.

Assertio II. Infinitas hæc Dei propriæ formaliter non consistit, primo in eo, quod D E V S caret principio & fine durationis; quodque nullo loco sibi adequato concludi potest; vt significat Albertus in 1. disp. 43. art. 1. hæc enim infinitas est æternitatis & immensitatis, non essentie.

Nec secundo, quod propriæ non definiatur, nec collocetur sub genere; quamvis inde eam explicet S. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 43. & quidam alij: alioqui omnia prima genera essent infinita essentialiter, & maxime ipsum Ens vt Ens.

Nec tertio, quod Esse ipsius Dei in nullo recipiatur: quamvis inde eam infinitatem comprobent S. Thomas hic quest. 7. att. 1. & lib. 1. contra gent. cap. 34. Ferrarensis ibidem, Caietanus, alioque recentiores Thomistæ hic, vt & Richardus atque Aegidius in 1. dist. 43. non solum quia nec Esse primæ substantia vt sic, in aliquo vere recipitur: imo nec Esse sive existentia aliarum rerum, cum ab essentia ex veteri philosophia non nisi ratione differat, vt suppono: Sed etiam quia, esto certo modo explicata illa negatio receptionis præbeat argumentum infinitatis, quod voluisse solum videtur S. Thomas loc. cit. eodemque sensu defenditur à Caietano, & Ferrarensi loco cit. non tamen est ipsa ratio, sive conceptus infinitatis secundum essentiam, vt non solum post Scotum loc. cit. docent Molina hic, quest. 7. Suarez lib. 2. de Deo c. 1. Vasquez disp. 25. cap. 2. & alij, qui negant, eam S. Thomæ probationem esse demonstrationem; sed etiam Thomistæ citati eodem a. 5.

Nec quarto, quod in Deo sint infinita attributa & perfectiones simpliciter, vt quidam recentiores dixerunt: non solum quia in D E O nulla est pluralitas talium perfectionum; cum sit

vna ipse simplicissima perfectio ex quest. precedenti dub. 1. sed etiam quia certum non est, posse in infinitum plures semper ac plures in Deo perfectiones simpliciter simplices concipi, ac ratione distinguui, vt rectè Suarez lib. 2. cap. 1. num. 3. Vasquez disp. 25. c. 1.

Nec quinto etiam propterea Deus formaliter infinitus est, quia est à se, & à nullo accepit Esse, vt existimauit Vasquez ibidem cap. 5. cuius sententiam meritò refellit Suarez loc. cit. quia licet inde efficaciter probetur infinitas D E I, vt dictum; ea tamen non est ratio formalis infinitatis, aut attributi vlli, sed essentia diuinæ, ex quest. 1. dub. 1.

Assertio III. Deus ergo est formaliter infinitus secundum essentiam, quia adeo essentialiter excellens est, vt careat in sua essentia vlo termino & limite perfectionis; qualis in ceteris rebus est certus quidam gradus entis, excludens alios formaliter & eminenter; eo modo, quo aliqui possibles sunt in perfectissimo ente. Ita Gregorius de Valencia quest. 7. punc. 1. Suarez lib. 26. cap. 1. num. 5. Probatur tum ex dictis; quia alia ratio huius infinitatis assignari non potest: Tum quia infinitum ex ipsa nominis ratione, significat negationem termini; ac proinde infinitas secundum essentiam aliud esse non potest, quam negatio seu carentia termini in perfectione essentiali; nec terminus altius in presenti fungi potest, quam eiusmodi gradus quidam entis, limitans, vt dictum, perfectionem. Essentia diuinæ.

Assertio IV. Attributū hoc formaliter est negatiū; et si fundamentaliter supponat continentiam formalem, aut eminentiam, omnis perfectionis possibilis, seu cogitabilis, omniumque sine vlo termino, quæ quoque modo perfecta cogitari possunt, etiam in infinitum in his procedatur, in gradu maioris semper ac maioris perfectionis sine termino. Prima pars est communis Doctorum, ac extra controversiam; & patet ex dictis, quia infinitum formaliter dicit negationem termini. Alteram partem recte tradit Suarez l. c. Probatur, quia infinitas hæc non est pura negatio; sed quasi in subiecto; alioqui pariter de non ente dici posset; deinde quia significat negationem termini in perfectione essentiali, necessario supponit continentiam illam omnis perfectionis possibilis; adeoque talis ac tantæ, vt nulla maior, imo nec æqualis perfectio in vlo Ente extra Deum sit cogitabilis.

Assertio V. Infinitas hæc secundum essentiam ita Dei propria est, vt contradictionem implicant, eam vlli creatæ naturæ communicari. Ita S. Thomas hic quest. 7. artic. 2. ex communi omnium. Probatur; quia implicat contradictionem, vt ea perfectio, in qua fundatur, hæc infinitas Dei, vlli naturæ, seu Enti extra D E V M communicetur, vt dictum quest. precedentib. 2. Quo fit etiam, vt Deus aliud nullum, seu perfectione superiore, seu parem habere possit, vt magis patebit quest. 5. Cum quo tamen non pugnat, quo minus res aliquæ creatæ habeant quandam infinitatem in essendo,

quasi respectuam, sive secundum quid, sive in recipiendo, sive in actuando, vel agendo, ut declarat S. Thomas cit. art. 2. vbi ait: *Lignum v. g. est finitum secundum suam formam; sed tamen est infinitum secundum quid, in quantum est in potentia ad figuram infinitas, &c.* Item: *Si sunt, inquit, aliqua forma creata, non recepta in materia, sed per se subsistentes, ut quidam de Angelis opinantur, erunt quidem infinitæ secundum quid in quantum huiusmodi forma non terminantur, nec contrahantur per aliquam materiam, &c. sed non infinitæ simpliciter.* Ita quilibet natura superior respectu inferiorum, dici potest infinita, seu infinite præstantior; quia licet inferiores perficiantur, aut multiplicentur in infinitum, nunquam tamen possunt ad præstantiam superioris naturæ pertingere. Sed de hac infinitate non est quæstio.

## DVBIVM II.

*Vtrum possibile sit infinitum actu, sive secundum multitudinem, & numerum, sive secundum multitudinem, extensionem, aut etiam intensionem.*

S. Thomas I. p. q. 7. a. 3. & 4.

**N**one est quidem hæc quæstio Theologica, sed philosophica, & ex principijs philosophicis dijudicanda: sed quia tamen S. Thomas eam hoc loco ex instituto pertractat, ac simul ab eius resolutione multa passim etiam in Theologia dependent, opera pretium iudicauit, eam breuiter discutere. Sicuti autem in precedentibus dubitatione non erat quæstio de infinito in certo genere, sed de infinito simpliciter in essendo, sive secundum communissimam rationem entis; ita hoc loco non est quæstio, nisi de infinito in certo genere, quod tamen non sit solum infinitum quasi respectu, sive secundum quid in eo genere, prout in fine præcedentis dubij dictum, sed quod absolute sit infinitum.

Suppono autem infinitum absolute, in unoquoque genere esse, quod in eodem genere termino caret; ac proinde secundum multitudinem infinitum est, quod nullo numero seu multitudine finitur ac terminatur. Notio nem autem infiniti in quantitate continua, seu magnitudine, non existimo formaliter esse desumendam ex multitudine partium, tum quia ea formaliter est ratio multitudinis; non magnitudinis; tum quia, cum controversum sit, an & qua ratione magnitudo partes habeat, melius in notione nominis ab ea controversia abstrahitur. Rectius ergo & planius infinitum in magnitudine dicitur, absolute quidem & secundum omnem dimensionem, quod nullo termino magnitudinis secundum ullam dimensionem clauditur. Quo modo

etiam Aristoteles lib. 3. phys. cap. 1. tex. 43. ait, quod infinitum est absque ullo termino extensum esse, & corpus infinitum omni ex parte in immensum esse extensum.

Infinitum, hoc in utroque genere quantitatis, aliud est infinitum actu, aliud infinitum potentia. Infinitum actu, de quo solo presens mouetur quæstio, est, cum eiusmodi multitudine, aut magnitudo actu simul tota est; ita ut tam multitudinis partes illæ innumeræ actu sint omnes, non tantum materialiter ac per modum unius, sed etiam formaliter ut multæ, ac inter se distinctæ; quam magnitudo illa nullo incremento ac noua adiectione egat, quæ interminabilis illa extensio compleatur, aut actu constituatur. Sicut etiam contrario sensu Vasquez hic disput. 26. cap. 1. dicit; infinitum in potentia, dici illud, ex quo, si id tantum accipitur, quod actu exsistit, infinitum quidem est, & terminum habet; si vero respiciantur causa, quæ adhuc ei possunt adiungi, infinitum est, iuxta Aristotelem 3. physic. cap. 6. text. 57. Vbi simul etiam consulto abstineo à ratione infiniti successui; quod cum suas partes omnes actu non habeat, non potest propriè dici infinitum actu; liceat ob aliam fortassis causam impossibile sit, ut unquam præterierit, ut suo loco Deo volente videbimus. Solum ergo de infinito actu entis permanentis hoc loco quæstio est; eaque procedit, non tantum de potentia DE ordinaria, sed etiam absoluta.

In hac autem quæstione generatim duæ sunt. Authorum sententiae. Prima est, qui admittit eiusmodi infinitum actu tam in magnitudine, quam in multitudine esse possibile. Ita Ariminensis in 1. dist. 43. quæst. 4. Bassolis quæst. vnica art. 2. Petrus de Alliaco disput. 42. quæst. 13. art. 3. Mayron in 1. dist. 43. Bacon in 2. d. 1. quæst. 6. Maior & Almain in 3. dist. 13. quæst. vnic. Argentina in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 4. & probabilem censem Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 3. Ockam verò saltem in multitudine rerum spiritualium; sicut & Aviceanna & Algazet, quos refert S. Thomas hic art. 4. in quovis genere, multitudinis per se non ordinatae, infinitum actu esse possibile admittunt. Cum prioribus Authoribus sentit Vasquez hic d. 26. cap. 2. & 3.

Secunda sententia negat, eiusmodi infinitum actu sive in magnitudine, sive in multitudine, esse possibile. Ita S. Thomas hic quæst. 7. art. 3. & 4. & quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 12. art. 2. Bonaventura in 1. dist. 43. artic. 1. quæst. 3. Richardus quæst. 1. & 6. Durandus quæst. 2. Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Marsilius in 1. quæst. 42. art. 3. Capreolus & Hispanensis in 1. dist. 43. quæst. 1. Bartius in 1. dist. 8. quæst. 2. Aureolus in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 1. 2. & 3. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 81. Caietanus, & Thomistæ omnes hic q. 7. a. 3. & 4. Albertinus tom. 2. de prædic. quant. d. 4. q. 4. 5. & 6. Gregorius de Valentia q. 7. punc. 3. Equibus Aureolus, Gregorius de Valentia, & Thomistæ communiter, idem etiam aperte sentiunt de infinito secundum intensionem; tametsi aliter sentiat Albertinus.

Eiusdem

4 Euifdem sententia, teste Gregorio de Valentia, sunt omnes ferre Peripatetici cum Aristotele 3. Physic. c. 8, & lib. 1. de coelo c. 6. quidquid hic alias de eternitate mundi dixerit; qui licet exprefſe non negauerit infinitum actu esse poſſible, per Dei potentiam abſolutam, ſatis tamen indicat, id ſimpliſter eſſe imposſibile, vt recte Aureolus I. c. Gregorius de Valentia ibidem, & Albertinus q. 3. Et quamuis Vasquez cit. disp. 26. c. 2. nro. 9. dicat, Aristotelem ideo p̄fertim docuiffe, infinitum eſſe non poſſe, quod exiſtimat, hanc rerum vniuersitatē non voluntate Dei, ſed neceſſario ita ab ēterno extiſſe; ex quo etiam probat, aliud vniuerſum eſſe non poſſe: tamē ex hoc ipſo ſequitur, Aristotelem ſenſiſſe, infinitum actu ſimpliſter eſſe imposſibile; cum iuxta hanc explicationem Aristotelis, præter hoc ipſum vniuerſum; ſimpliſter imposſibile censuerit exiſtere aliud vniuerſum.

Nec obſtat, quod Aristoteles mundum poſuit ab ēterno; ex quo ſequi videtur infinitus numerus animarum: quia Aristoteles etiā negauerit transmigrationem animarum Pythagoricam, ni mirum de corpore humano in corpus bruti; non tamen aperte negauit transmigrationem Platonicam, de corpore humano in aliud corpus huma- num, vt recte Albertinus cit. q. 3.

Atque hac ipſa etiam sententia negatiua mihi ſemper viſa eſt longe verior. Primo propter au- toritatem; quia eſt multo communior, & plurim, & grauiorum Philosophorum ac Theologorum; e quibus si Nominales excipias, ceteri prope omnes, quamvis aliqui ſcholis integris diuerſi, in eadem conſpirant, vt diſcum.

Secundo, eſt multo planior & ſolidior ad multa declaranda, quae in Theologia paſſim oce- rūntrunt. I. Nam ſi infinitum actu ſecundum mu- ltitudinem & magnitudinem eſt poſſible, nulla ratio eſt, cur non etiam ſit poſſibilis gratia & charitas infinita ſecundum intenſionem; id enim ne- ceſſario ſequitur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 24. a. 7. afferentis, charitatem ſecundum ſe, nullum habere terminum intenſionis, ſed quantum eſt per ſe & ex ſe, poſſe intendi in infinitum: hoc ve- ro poſto, nulla plane poſteſt assignari ratio, cur Christus Dominus ſecundum humanam naturā, non habuerit gratiam infinite intensam: decebat enim vel maxime, nature infinita verbi, & vni- onis hypothetica dignitate donata, infinita etiam munera & ornamenta gratiae adjici: hoc ve- ro licet admittant Maior in 3. diſt. 13. q. 9. & fuſſe Almain q. 1. eſt tamen contra communem.

II. Iuxta oppositam sententiam, nulla poſteſt ſu- ficiens reddi ratio, cur cum Chrifti merita ſecun- dum rationem valoris moralis fuerint infinita ſimpliſter, non fuerit à Deo illis deſtinatum æquialens p̄cūm, itidem infinitum ſimpliſter, v. g. redēptionis infinitorum hominum.

III. Si gratia ſanctificans infinite intensa poſſi- bilis eſt, vix poſteſt reddi ratio, cur non potius homo purus expers peccati, cum infinita eiuf- modi gratia, ad ſatisfaciendum pro peccatis ho- minum fuerit miſſus; præſertim cum iuxta com-

muniorem & veriorem ſententiam Doctorum, peccati malitia non ſit ſimpliſter infinita.

IV. Non facile eſt explicatu, cur poena ſenſus in inferno, non potius ſecundum intenſionem, quam extenſionem infinita fuerit à Deo decreta; præſertim cum id & diuinæ bonitati, & bono vniuersali creaturarum, & demerito ipſius pecca- ti, quod nullam continet maritiam infinitam ſe- cundum intenſionem, fuſſet conuenientius.

V. Eneruantur multæ rationes, que vel ad exiſtentiam Dei, vel ad incepſionem mundi com- probandam, ab infiniti imposſibilitate, paſſim à grauiſſimiſ Doctoribus petitiæ adſeruntur.

VI. Eo deuenit, ut tantam multitudinem rerum à Deo, in omni genere Entium poſſibiliū, affirmetur effici, ac re ipſa effectam dari poſſe, vt Deus nihil amplius producere poſſit, vt videre eſt apud Vasquez cit. c. 3.

VII. Sequitur ex oppoſita ſententia, ēterni- tatem & immenſitatem Dei, rerum creatarum, duratione & magnitudine ad aquari quodammodo poſſe; ita vt nec Deus, ſua potentia excedat, creatures; nec duratione re ipſa antecedat crea- turas.

VIII. Si poſſibile eſt eiusmodi infinitum actu, cur quæſo Deus ad demonſtrandum magis ſuam ſapienſiam & potentiam, non prodiuſit mundum infinitum? cur aeternitate tota ante pro- ductum mundum ab opere quietuit? Hæc & similia plura, que iuxta noſtram ſententiam facilem & planam habent explicationem, conſilendo etiam ipſum per ſe ſolum lumen rationis natu- ralis, iuxta aduersam ſententiam diſſicillimam ha- bent ſolutionem. Ut hic etiam prope dici poſſit, quod in ſimiſ genere ſcripti Guilielmus Parisien- ſis antiquus & grauiſ Theolog⁹ tract. de fide c. 2. Ponere infinita huicmodi, eſe deſtruere credulitatem eorum, que ſunt fundamenſum religionis, & proper hoc religionem inſindabilem facere; quare & inadvi- bilem &c.

Sed & tertio eadem ſententia optimis rationibus, meo quidem iudicio euidenter comproba- tur; ego tres ſolum ad feram, eaſque direcete pri- mum applicabo ad euertendum infinitum actu ſecundum multitudinem. Prima eſt hec: ſi enim poſſibile eſſe eiusmodi infinitum, tum id vel eſſet vnum tantum infinitum ſecundum multitudinem, vel multa: neutrū dici poſſet. Ergo &c. Maior patet, quia vnum, vel multa talia, paſſio eſt communissima entis cuiusque, quod tale ens dicitur; caque inter ſe (virtute ſaltem.) conſtradictorie opponuntur. Si enim aliiquid eſt tale ens, aut eſt diuifum in plura talia; aut non eſt diuifum in plura talia; ſi primum; Ens illud erit multa talia: Si ſecundum, erit ſolummodo vnum tale.

Minor probarū; vnum enim tantum eſſe non poſſe, ita demonstratur. Si enim datum illud in- finitum, eſſet vnum tantum infinitum ſecundum multitudinem, tum eſſet infinitum, ſeu infinita multitudine vniuatum tantum, nō autem binario- rum, aut ternariofum, aliorumue maiorum nu- merorum. &c. ſed conſequens eſt imposſibile. Er- go & antecedens. Maior huic ſyllogiſmi pater-

Quia sola multitudo infinita vnitatum, est vnum tantum infinitum: omnis autem multitudo infinita biniorum, aut ternariorum, est duplicata vel triplicata multitudo infinita vnitatum; adeoque hoc ipso iam non est vna tantum multitudo infinita, sed duplex vel triplex; sicut sola decas vnitatum, est vna decas; biniorum vero aut ternariorum decas, est duplicata, vel triplicata decas, adeoque simpliciter non vna, sed plures decades.

Minor huius eiusdem syllogismi, nimur impossibile esse, vt detur infinitum actu secundum multitudinem, quod sit infinitum, seu infinita multitudo vnitatum tantum, non etiam biniorum aut ternariorum, euidenter quoque probatur; quia si infinitum hoc non est etiam infinita multitudo biniorum & ternariorum, continens videlicet infinitos binarios & ternarios, tum continebit binarios sive ternarios solu finitos; seu, quod idem est, finitam tantum multitudinem biniorum vel ternariorum; quia inter finitam & infinitam multitudinem ternariorum (posita ternariorum multitudine) non datur medium: at vero impossibile est, infinitum vllum secundum multitudinem continere solum finitam multitudinem biniorum vel ternariorum, aut etiam cuiuscunque numeri finiti possibilis, aut imaginabilis; quia nulla finita multitudo numerorum potest constituere vllum infinitum secundum multitudinem. Ergo impossibile est, vt detur vllum infinitum secundum multitudinem, quod sit infinitum, seu infinita multitudo vnitatum tantum, non etiam biniorum aut ternariorum, seu cuiuscunque numeri finiti possibilis.

Sed nec positum illud infinitum secundum multitudinem, posse esse multa infinita secundum multitudinem, que in primo syllogismo erat altera pars minoris probandæ, ex priori parte, atque ex dictis euidenter itidem deducitur. Quia omnia multa talia constant ex pluribus vnitatibus talium: ergo etiam multa infinita secundum multitudinem constare debent ex multis vnitatibus infinitorum secundum multitudinem, adeoque ex pluribus infinitis secundum multitudinem: at qui iam ante probatum est, impossibile esse, vt detur infinitum secundum multitudinem vnu tantum, prout nimur vnum contra multa distinguitur: Ergo etiam impossibile est infinitum illud secundum multitudinem, esse multa infinita secundum multitudinem. Atque hoc argumentum mihi semper vsum est euidentis & magni roboris; neque etiam vno video, quid illud solide possit responderi.

Altera ratio est hæc. Illa multitudo est impossibilis, etiam secundum absolutam Dei potentiam, cuius pars necessario esse aut cogitari debet æqualis suo toti; sed in multitudine actu infinita, pars aliqua necessario esse aut cogitari debet æqualis suo toti: Ergo impossibilis est talis multitudo actu infinita, etiam secundum absolutam Dei potentiam. Maior propositio patet; quia implicat contradictionem, vt in illa multitudine rerum pars adæquet suum totum; quia totum continet partem, & aliquid supra partem, in

quocunque genere quantitatis, vt supponit etiam Euclides lib. I. Elementorum.

Minor propositio probatur: Sit enim multitudo aliqua actu infinita, tum hæc necessario continet infinitam multitudinem vnitatum, biniorum, ternariorum, decadum, centenariorum, millenariorum, & cuiusvis numeri finiti, vt etiam in precedenti demonstratione ostensum. Hoc posito, ita argumentor. In hoc infinito secundum multitudinem, infinita vnitatum multitudine est velut pars quædam respectu infinita multitudinis decadum; & eadem tamen infinita multitudine vnitatum, est æqualis infinitæ multitudini decadum: Ergo necessario in hoc infinito secundum multitudinem, pars est æqualis suo toti. Eademque est ratio cuiuslibet alterius infinitæ multitudinis actu.

Maior propositio huius syllogismi patet; quia sicut se habet vnitatis ad vnam decadem, & mille vnitates ad mille decades; ita infinita vnitates, ad infinitas decades; pari enim proportione decas quælibet cuiusvis multitudinis & numeri novem partibus vnitatem eiusdem ordinis excedit, vt patet: aut vero vnitatis se haberet ad vnam decadem velut pars ad totum, adeoque est pars decadas, vt patet: Ergo etiam infinita multitudo vnitatum, est velut pars quædam infinitæ multitudinis decadum.

Minor propositio eiusdem syllogismi, nimur eandem multitudinem infinitam vnitatum esse æqualem infinitæ multitudini decadum, probatur. Quia eadem infinita multitudo vnitatum est, & continet etiam in se infinitam multitudinem decadum: Ergo est æqualis infinita illi multitudini decadum, cuius est pars. Consequentia patet. Quia infinita multitudo decadum ad aliam infinitam multitudinem decadum, habet se sicut vna decas ad vnam decadem, & decem decades ad alias decem; & ita de quavis multitudine decadis, ad similem multitudinem decadis comparata, loquendo: in quibus vtique vnum extremum alteri comparatum est æquale.

Antecedens huius argumenti probatur ex dictis precedenti demonstratione. Quia impossibile est, vt infinitu vnitatu non sit etiam infinita biniorum, ternariorum, & cuiusvis numeri assignabilis.

Quæ de causa etiam non valet obieccio; etiam si quidem infinita multitudo vnitatum sit, & continet infinitam multitudinem decadum, ramen diuersam esse rationem infinitæ multitudinis decadum, cuius infinitas illa vnitatum pars fuit designata, ab ea infinita multitudine decadum, que in ipsa infinitate vnitatum continetur; illam enim semper adhuc novem partib⁹ excedere, & maiorem esse istam: nam ego continuo illas ipsas novem partes accipio, & euidenter cœuinco, etiam in hac infinita multitudine vnitatu (que in altera illa infinita multitudine decadum velut pars continebatur) contineri debere: quia est infinita multitudo cuiuscunque numeri assignabilis seu cogitabilis; ac proinde etiam si, nondico decies, sed decies millies, & millies millies, & quidquid demum adhuc numeri cogitari potest, decadem multiplices, nihilominus

tamen

tamen infinita illa multitudo vnitatum, vt continet infinitam multitudinem decadum, ita pariter etiam continebit infinitam multitudinem quamvis millies, & millies millies multiplicarum decadum; alias enim eo ipso iam non esset infinita multitudo nec decadum, nec vnitatum.

<sup>12</sup> Idem argumentum apertius declaratur hac hypothesi facta, quam opposita sententia non potest negare esse possibilem. Ponamus igitur infinitam multitudinem hominum esse productam; quorum singuli duobus oculis fuerint praediti, vt consuetus naturae cursus postulat. Tum in hac infinita multitudine tam oculorum, quam hominum, vtique multitudo oculorum erit dupla ad multitudinem hominum; quandoquidem cum singuli homines habeant duos oculos, necessario illa multitudo infinita oculorum continet multitudinem hominum duplicatam: hinc sequitur eam multitudinem hominum habere, se ad multitudinem oculorum, veluti unum ad duo, adeoque veluti partem ad totum; & nihilominus tamen multitudo infinita hominum, quia est & continet etiam infinitam multitudinem binariorum, vt dictum, non potest non esse æqualis infinitæ multitudini oculorum; qua & ipsa alia non est infinitas, quam infinitas binariorum, ex hypothesi.

<sup>13</sup> His addo tertiam hanc rationem. De ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine infinita; sed impossibile est, vt detur eiusmodi infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione sit, in se actu & formaliter continere omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine infinita. Ergo impossibile est dari infinitum actu secundum multitudinem, seu multitudinem actu infinitam.

<sup>14</sup> Maior propositio probatur primo ex notione infiniti actu, quæ significat aliquid secundum se totum actu existens, quod in eo genere, quo infinitum est, nullo termino clauditur & finitur; atqui si multitudo quæpiam non actu contineret omnem multitudinem possibilem in eadem multitudine, iam hoc ipso in suomet genere multitudinis clauderetur & finiretur aliquo termino; vt potest non continentis formaliter omnem perfectionem formaliter possibilem in eodem genere. Ergo de ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine.

Secundo probatur eadem maior à simili. Sicut enim se habet infinitum actu secundum essentiam, sive secundum communissimam rationem Entis, ad omnem omnino perfectionem Entis; ita se habet infinitum actu in certo genere, puta secundum multitudinem, ad ipsam multitudinem Entis; nulla enim ratio dispartitis potest assignari: sed de ratione infiniti actu secundum essentiam est, vt actu & formaliter contineat omnes perfectiones, quæ

sunt possibles formaliter in tali Ente, nimirum perfectissimo & simpliciter infinito secundum essentiam; vt patet ex dubio præced. & supra quest. 2. dub. 2. Ergo etiam de ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine.

Minor propositio superioris syllogismi probatur. Quia si quod esset tale infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione esset, actu continere omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis, v.g. hominum; tunc non solum etiam de potentia Dei absoluta, nullus hominum præterea eidem multitudini noua productione adjici posset; quod aduersarij facile concedent; sed & simul vel vno homine, aut binario hominum ex ea multitudine subtracto, ea statim hoc ipso desinenter esse actu infinita; eo vero binario denuo per nouam productionem diuinam adiecto, rursum redderetur actu infinita; quandoquidem & facta illa subtractione, non amplius contineret totam multitudinem possibilem, & reparata subtractione, denuo haberet ex hypothesi: sed utrumque aperte est impossibile, manifestamque inuoluit contradictionem; subtractione enim finiti numeri ab infinito, non potest tollere infinitum; nec etiam additio numeri finiti ad finitum, potest facere ex finito infinitum: quandoquidem ex duabus numeris finitis non potest fieri infinitum, vt patet. Ergo impossibile est dari infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione sit, actu continere omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis. Et vero procedit haec ratio, etiamsi dicatur, satis esse, vt infinito multitudine actu contineat omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis, v.g. omnes numeros secundum speciem: quia nihilominus subtracta vnitate, aut binario, mutatur numerus ac species numeri. Omitto plura.

<sup>15</sup> Quemadmodum vero demonstrationes Arithmetica possunt accommodari etiam ad magnitudines, seu quantitatem continuam, ita etiam haec ipsa demonstrationes, quas contra infinitum actu secundum multitudinem produximus, facile etiam ad resellendum infinitum actu secundum magnitudinem accommodari possunt. Prima quidem in hunc modum. Detur enim qualibet eiusmodi magnitudo infinita actu, tum utique fatendum erit, eam contineare infinitam multitudinem cuiuslibet mensuræ seu magnitudinis finitæ, v.g. infinitam multitudinem pedum, quia ex multitudine finita pedum, aut ullius magnitudinis finita non potest constitui infinitum, vt patet. Tum ita argumentando progredior. Aut ea multitudine infinita pedum erit vna tantum; vel plures: neutrum potest dici: non vna tantum; quia continet infinitos etiam binarios, ternarios &c. pedum. Nec plures; quia omnia plura talia constant ex vnitibus pluribus talium:

cum ergo impossibile sit , dari multitudinem infinitam pedum vnam tantum , seu qua sit infinitas unitatum pedum tantum , non etiam binariorum , vel ternariorum &c. sequitur , impossibile esse talem magnitudinem constantem ex pluribus infinitatibus , seu multitudinibus infinitis pedum : Ergo simpliciter impossibile est , dari magnitudinem actu infinitam ; seu infinitum actu secundum magnitudinem .

Secunda ratio hoc modo accommodabitur ad infinitum actu secundum magnitudinem ; supposito primo syllogismo , qui communis est . Sit enim magnitudo aliqua actu infinita , tum haec necessario continebit infinitas unitates , binarios , ternarios , decades , centenarios , millenarios gradum , vt antea dictum . Hoc posito ; cum infinitae unitates pedum se habeant , ad infinitas decades pedum sicut pars ad totum ; & nihilominus tamen eadem infinitae unitates pedum , necessario sint etiam infinita decades pedum , vt antea dictum , evidenter sequitur , in eiusmodi magnitudine , partem esse aequalem toti , vt pluribus in eodem argumento secundo superius diximus .

16 Tertia ratio itidem ad idem institutum facile accommodatur . Quia de ratione infiniti actu secundum magnitudinem est , vt actu ac formaliter continet omnem magnitudinem formaliter possibilem in eo genere magnitudinis , vt antea in simili probatum est : atqui impossibile est , dari tale infinitum secundum magnitudinem , de cuius ratione sit , actu ac formaliter continere omnem magnitudinem formaliter possibilem in eo genere magnitudinis ; quia tunc sublatâ solummodo magnitudo vnius v.g. pedis , iam desinet esse infinita magnitudo ; adiecit vero rursus magnitudo eiusdem pedis , iam efficeretur iterum infinita magnitudo : quorum utrumque tamen est impossibile ; quandoquidem ex duabus magnitudinibus finitis , non potest fieri magnitudo infinita , vt dictum .

Sed & eadem rationes omnes , pariter etiam contra infinitum actu secundum intensionem , facile applicari possunt . Prima quidem hoc modo . Derur enim qualibet eiusmodi qualitas actu infinita secundum intensionem ; tum utique fatendum erit (supposita communi philosophia) eam contineare infinitam multitudinem non solum gradum simplicium , sed etiam duplicatorum , triplicatorum &c. quia si duplicatos , aut triplicatos gradus solum finites contineret , iam non posset in qualitate illa esse infinitas graduum ; adeoque nec ipsa esset infinita secundum intensionem . Hoc posito ; aut ea multitudine infinita graduum erit vna tantum , aut plures ; non vna tantum ; quia est infinitas graduum , multiplicatorum , vt duplicatorum & triplicatorum &c. vt dictum : nec plures ; quia ubi non est vna tantum infinitas graduum , non possunt etiam esse plures infinitates graduum ; quandoquidem omnis multitudine constat ex

vnitatibus : Ergo simpliciter est impossibile , esse ullam multitudinem graduum intensio- nis actu infinitam , sive qualitatem infinite in tensam .

Secunda ratio contra infinitatem intensio- nis ita explicatur ; supposito primo syllogismo , qui communis est . Sit enim qualitas al- liqua infinitum intensa , tum haec necessario continebit infinitas unitates , binarios , ternarios , decades , centenarios , millenarios gradum , vt antea dictum . Hoc posito , cum infinitae unitates graduum ad infinitas decades gradum se habeant velut pars ad totum , & nihilominus tamen eadem infinitae unitates graduum , necessario sint etiam infinita decades gradum , vt antea dictum , manifeste se- quirur , in eiusmodi qualitate infinite intensa , sive in multitudine illa infinita graduum , partem esse aequalem toti , vt superior est declaratum .

Tertia ratio ita ad intensionem accommo- datur . Quia de ratione infiniti actu secun- dum intensionem est , vt actu ac formaliter continet omnem intensionem graduum for- maliter possibilem in eo genere intensionis , vt antea in simili dictum : sed est impossi- ble , vt detur tale infinitum : tunc enim sublatu quolibet minimo gradu , aut certe fi- nito numero graduum , desineret esse infini- tum ; eo vero denuo reparato , rursus con- sideretur infinitum : quorum utrumque est impossibile ; quandoquidem ex duabus inten- sionibus finitis , non potest fieri intensionis in finita , vt antea in simili dictum .

Ceterum contra hanc doctrinam , & de- monstrationes , quæ pro ea adferri solent , tria potissimum obiecta sunt . Primum est ; quod rationes eiusmodi applicari etiam possunt contra infinitum in potentia , cogitationum v.g. in omnem aeternitatem futuram ; quale in- finitum tamen constat non esse impossibile , vt patet etiam apud Aristotelem 3. physic. cap. 6. Ergo cum contra hoc nihil probent , nihil etiam concludent contra possibilitatem infiniti actu . Respondeo distinguendo antecedens ; procedunt enim quidem contra infinitum in potentia , ita vt probent , eiusmodi infinitum in potentia nunquam posse fieri in- finitum actu , v.g. vt cogitationes in om- nem aeternitatem futuræ , actu simul existant in rerum natura : at non procedunt tamens contra infinitum in potentia , ita vt probent , illud ipsum in suo genere impossibile esse : quia non est absurdum , nec impossibile , vt detur aliqua multitudine actu finita , ad quam semper quidem in infinitum fieri possit acces- sio partium ; sed solummodo vt infinita illæ partes omnes actu existant : sicut enim implicatio contradictionis respectu alicuius totius , v.g. Hircoerii , recte quidem probat , to- tum illud simul existere nunquam posse ; at vero nunquam probat , partes illius totius , v.g. Hiricum & Ceruum per se aut successivæ exsistere non posse ; ita etiam implicatio con-

tradi-

traditionis respectu infiniti, velut cuiusdam Totius, probat quidem totum illud secundum omnes suas partes simul actu existere non posse; at vero non probat, partes etiam ipsas per se & successive, infinitam quadam progressionem, existere non posse; et si, quia implicat dari infinitum actu, impliceit itidem contradictionem, eiusmodi partes omnes simul existere, tunc enim esset infinitum actu: cum iam actu quidem sit infinitum in potentia; sed infinitum actu nec sit quidem in potentia.

<sup>19</sup> Secundo obiecit speciatim Vasquez disput. 63. cap. 2. hoc argumentum. In ea multitudo, quam Deus simul in conspectu habet, siue ea sit rerum possibilium, siue futurorum, nulla habita ratione aliarum, quæ illi multitudini addi possent, non possumus assignare primam & ultimam; ergo est actu infinita. Responderetur negando consequentiam; quia hæc non est ratio adæquata. Infiniti actu, sed ut præterea partes eius omnes re ipsa existant, ut dictum. Nec obstat, quod actu, & simul, omnes ex cogitatione Deo obijciantur; quia à conditione seu modo ipsius esse obiectui ad conditionem seu modum esse subiectui aut formalis, non valer argumentatio, ut patet. Et vero magnum est discriben inter productionem infiniti, & eius cognitionem. Productioni enim infiniti, cum sit actio externa Dei. non repugnat aliquo modo esse imperfectam; ita nimirum ut per eam, infinitum ad actu, potentia adhuc permixtum, deducatur; immo ob ipsius infiniti repugnantiam, impossibile est, eiusmodi productionem finiri, & ad completum omnino actu terminari; quo sit, ut semper aliqui superesse debet potestati productoris, quod necdum sit productum: at cognitione infiniti cum sit actio immanens Dei, vnde completa & invariabilis esse debet, adeoque actu tendere in omnia, in qua potest, ut suo loco inferius dicetur.

Quod si dicas; Infinitum actu cognoscitur à Deo velut possibile: Ergo Infinitum actu est possibile. Respondeo distinguendo antecedens, id enim verum est, si vocabulum *actu* denominet verbum seu prædicatum, cognoscitur: at vero si denominet subiectum, nimirum *Infinitum*: falsum est: vnde negatur, consequentia. Ad quem modum recte etiam ad hoc argumentum respondet Gregorius de Valentia loco cit. & fuse Albertinus tom. 1. princip. 4. q. 5. punc. 8. & rom. 2. de quant. disp. 5. quæst. 2.

Néque pro se merito Vasquez citatus allegat S. Thomam, Bonaventuram, Richardum, Caietanum, Ferrariensem, quasi Deo tribuant cognitionem futurae multitudinis actu infinita: quandoquidem S. Thomas aliisque citati expresse negant infinitum actu esse possibile; neque eam voculam vspianam addiderunt ad terminum infiniti; sed indefinite direxerunt, Deum cognoscere infinita, seu in-

finitum, nimirum in potentia, modo explicato.

Tertio multos torquet communis ratio & conditio cuiuslibet continui quanti permanentis: in quo re ipsa & actu infinita multitudi partium seu terminorum inesse videtur. Primo enim in quolibet continuo permanente (successuum enim, quia partes suas actu existentes non habet, non facit ad propositum;) sunt infinita cuiusque generis indivisibilia, nimirum puncta, linea, superficies. Secundo in unoquoque eiusmodi continuo sunt infinitæ partes proportionales & communicantes. Tertio sunt etiam infinitæ partes æquales vni certæ, non communicantes inter se. Nam in corpore quadrato, vel etiam columna aliqua, est linea spiralis, ab imo ad summum ascendens, continens infinitas lineas æquales, ut præter Comibricenses lib. 6. Physic. cap. 2. quæst. 1. art. 3. fateretur etiam Suarez in Metaph. disputation. 40. sec. 5. num. 48. In quolibet itidem angulo rectilineo, continentur infiniti anguli contingentes inter se non communicantes, & vni certo æquales, ut colligitur ex lib. 3. Euclidis propos. 16. Denique partes æquales continui non possunt vlo numero finito definiri; quia quotunque assignatae fuerint, plures possunt assignari, si vnaquaque rursum in duas partes æquales diuidatur. Ergo infinitum actu non solum possibile est, sed etiam re ipsa datur.

<sup>21</sup> Hoc arguento illi, qui admittunt tam indivisibilia, quam partes constituentes, seu aliquotas, seu aliquantas, actu esse in continuo; & quidem etiam plures & distinctas, non quidem actu divisionis realis; sed distinctionis extititiae; atque interim tamen negant. Infinitum actu esse possibile; fateor admodum premuntur; & meo iudicio à difficultate argumenti extricare se non possunt. Aiunt enim, esse quidem multitudinem infinitam indivisibilium, partiumque etiam diuisibilium in continuo, eamque multitudinem actu existere totam; non tamen esse infinitum actu; quia omnia constituant quantitatem seu magnitudinem solum finitam; vtpote qua nihilominus seu puncto primo & ultimo, seu superficie, extima terminetur & finiatur: in multitudine vero non implicare contradictionem, multitudinem infinitam partium actu existentium, quando illæ non sunt actu diuisæ, sed per modum vnius constituant vnum aliquid ens continuum. Omitto illos, qui dicunt, in multitudine non esse impossibile infinitum actu in entibus incompletis, vel etiam substantijs spiritualibus: qui argumentis superius propositis aperte refelluntur.

<sup>22</sup> Ad priores vero quod attinet, licet earatione vñcunq; defendatur, in permanenti continuo locum non habere infinitum actu secundum magnitudinem; non tamen video, quia ratione defendi possit, non esse illuc infinitum actu secundum multitudinem; cum Authores isti fateantur, indivisibilia omnia, vti & partes communicantes, ac non communicantes

continui,

continui, actu esse in continuo; ac simul etiam esse actu non solum multas, sed etiam infinitas. Sic enim argumentor. Infinitum actu secundum multitudinem, est multitudo quædam nullo termino alicuius numeri definiti conclusa, cuius partes innumeræ actu omnes existunt, non tantum materialiter ac per modum viiis, sed etiam formaliter ut multe sunt, ac inter se quacunq; de-  
num ratione distinctæ; etiamsi actu non sint separatae ac diuisæ: Ergo in vnoquoque continuo permanente datura actu infinitum secundum multitudinem. Et confirmat argumentum. Quia adeo actualis multitudo ac pluralitas partium actu existentium, & non finita; ergo infinita multitudo actualis partium simili existentiū: Ergo infinitum actu.

23 Respondeo igitur ad argumentum alterum; & in herendo, ut opinor, antiquæ Aristotelis Philosophie dico: in corpore quanto, seu in magnitudine, prater unam forte superficiem, corpus ambientem, cætera indiuisibilia realiter ac physicè non esse, sed solum consideratione mathematica, ut recte docuit inter alios Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 13. quest. 6. cuius sententiam etiam velut probabilissimam defendunt Comimbricenses lib. 6. Physic. cap. 2. quest. 1. art. 4. Idem fuse prosequitur Albertinus tom. 2. de quant. disp. 3. quest. 7. qui veterius etiam progressus, dicit superficiem illam pure terminatiū, non esse positivam & realē, quod docuit etiam Durandus.

Eodem modo respondeo: partes continuo seu proportionales & communicantes, seu non communicantes, formaliter & actu non esse in continuo; ita nimur, ut sint actu plures, & à parte rei distinctæ, sed solum in potentia; et si quidem ibi sint actu materialiter & secundum entitatem suam, quatenus idem materialiter sunt cum ipso toto continuo: quo sit ut in continuo non sit actualis vlla partium multitudine seu numerus, nec finitus, nec infinitus, nec indiuisibilis, nec partium componens, sive communicans, sive non communicans, sed solum in potentia. Plura Albertinus cit. tom. 2. disp. 3. de quant. q. 6. Optime etiam Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theol. post med. ait: Euclidem de lineis tractare nusquam extantibus.

Et ratio est; quia ad pluralitatem entium requiritur diuisio sive determinatio corundem, continuum autem homogeneum est unum quodam totum plane indiuisum & indistinctum, nec est vllum in eo à parte rei principium distinctionis actualis partium: Ergo nulla est in eo actualis distinctio seu pluralitas partium; adeoque, nec actu & formaliter partes, utpote quæ sine multitudine actuali esse non possunt; sed est unum totum continuum uniforme; quod tamen & intellectu per designationem, vel etiam actuali diuisione & separatione diuidi potest in partes, & quidem in infinitum syncategorematice; ita tamen, ut per rationem solum pluralitas partium secundum rationem; per actualē vero & realem diuisionē actualis plura

litas partiū constituatur. Accedit, quod si in continuo essent actu partes, tunc ille ipse vtiq; esset, quæ post actualē separationē existunt: at hæ in ipso continuo actu antea non erant: quia nō erant termini, quib⁹ in ratione talis partis constituantur: non solum quia secundum eam, quam antea asservimus sententiam, in ipsa profunditate, magnitudinis nulla sunt indiuisibilia realia actu, sed quia secundū communem etiā aliorū sententias, diuisibilia terminantia primum per actualem diuisionem continuū generantur: cum ante diuisionem, vnum & idem punctum esset principium vniuersi dimidiæ partis, & finis seu terminus alterius, ut perspicue docet Aristoteles lib. 8. Physic. text. 68. vbi docet, eum qui dimidium in eō continuo numerat sive distinguit, necessario numerare vnum punctum ut duo.

Dices, in ipso continuo, etiam ante omnem diuisionem, tota entitas realis partium iam ante era, ita ut entitas vnius partis non esset entitas alterius, nec adeo pars una esset altera: Ergo ante omnem designationem vel diuisionem, erat ibi aliqua pluralitas partium. Respondeo, negando consequentiam; quia ex negatione identitatis partium inter se, non recte infertur positiva positio & distinctio partium: sicut ex negatione identitatis hircocerii cum ceruo, non sequitur positiva positio & distinctio vtriusque extremi: propterea enim non erat identitas illarum partium, quia ipsa partes illæ actu non erant.

Si dicas; ante omnem diuisionem in continuo, entitas vnius partis erat in continuo, & tamen re ipsa erat distincta realiter ab entitate alterius partis: Ergo erat pluralitas partium; ante omnem diuisionem. Respondeo distinguendo antecedens: erat enim ibi quidem ante diuisionem entitas vnius partis, ut & cæterarum omnium, in quas postea facta est diuiso, quasi materialiter, in quantum idem sunt cum continuo, abfque vlla actuali multitudine & numero partium: sed non formaliter, in quantum erat entitas huius vel illius partis, quæ primum ex designatione vel diuisione enarrata fuit.

Eadem ratione dicendum est, multo minus in continuo actu esse illas figuræ angulorum, triangulorum, circulorum spiraliū, linearum &c. non magis, quam in celo actu & realiter sunt cireuli illi cœlum describentes, & figura syderum, puta Zodiacus cum suis signis, linea ecliptica, æquinoctialis, Tropici &c. item figura Canis, Serpentis, Vrsi &c.

Atque hæc plane est doctrina Aristotelis in multis locis. Ut quando lib. 7. Physic. tex. 37. ait: Namque in toto nulla pars mea, nisi potestate: quanquam cum hic loqui videatur etiam de parte aliqua totius per aggregationem, vt est granum milij respectu modij; hic locus non ita conuincit. Apertius lib. 8. Physic. tex. 68. In continuo autem, inquit, insunt quadam infinita dimidia, non actu, sed potestate; quod si actu facerint, continuum non facient. Et inferius ad Zenonis argumentum respondens, ait. Quare ad interrogantium, si infinita aut in tempore, aut in lon-

gitudine

gitudine possint transiri, dicendum est, partim posse, partim non posse. Quia enim actu sunt, non posse: quia autem potestate, posse. Item lib. 3. Metaphys. cap. 5. vel 10. tex. 17. docet, superficiem esse in solido, sicut Mercurius in rudi lapi-  
de. Et ad hanc, inquit, eodem modo in solidi qualibet figura. Quare si neque in lapide Mercurius est, nec in cubo dimidium cubi, ita ut de-  
terminatum sit, profecto nec superficies: nam si qua-  
cunque esset, & ea profecto esset, que dimidium determinat. Eadem autem ratio est in linea,  
puncto, & unitate. Et lib. 5. Metaph. tex.  
31. Continuum autem & finitum, cum unum quid confas ex pluribus, qua insur, maxime quidem potestate; fin minus actu. Et similia multa passim habet alibi, speciatim lib. de animal. motu c.  
2. & lib. 3. de anim. c. 6. tex. 25.

Et consentit S. Augustinus lib. quant. anim.  
cap. 11. vbi docet, longitudinem sine latitudi-  
ne in corpore non inueniri; sed sola mente co-  
gitari. Et lib. 7. de genet. ad lit. cap. 21. ait,  
lineas, qua per longum secari non queunt, in  
corpore non posse inueniri.

Eandem sententiam Aristotelis, quoad par-  
tes continui, aperte tradunt Themistius, Sim-  
plicius, Aphrodiseus, Auerroes, aliquae  
antiqui Aristotelis interpretes; in primis S.  
Thomas in cit. tex. 37. Physic. vbi ait: Pars  
in toto non est in actu, sed in potentia, maxime in  
continuo. Sic enim aliquid est ens, sicut & unum:  
unum autem est, quod est in se indivisum, &  
ab aliis divisum: pars autem, prout est in toto, non est  
divisa actu, sed in potentia tantum. Vnde non est  
actu ens, neque una, sed in potentia tantum, &c.  
De qua re plura Conimbricenses loc. cit. Al-  
bertinus citata ca. quast. 6. & 7. Qui recte  
etiam notant, quando Aristoteles in praedica-  
mentis, & alibi subinde de punctis & lineis,  
tanquam de entibus positivis actu existentibus  
in rerum natura loquitur, id vel non ut ex  
proprio, sed aliorum sensu, ac veluti recep-  
ta suppositione, sive postulatione Mathe-  
maticorum, vt colligitur ex 8. Physic. tex.  
14. vel secundum designationem rationis ac-  
cipiendum esse. Cuius generis est illud, quod  
cap. 5. de quant. & lib. 5. Physic. cap. 3.  
tex. 26. ait: Continuum esse, cuius partes com-  
muni termino copulantur: hoc est, copulari co-  
gitantur: cum fundamento in re, quod  
est ipsa actualis indivisio partium. Manauit  
enim ea definitio ab antiquis Geometris, qui  
ad suas demonstrationes conficiendas, uti in  
corpore varias figuras linearum, planorum,  
atque etiam corporum; nonnunquam etiam  
lineas in infinitum protensas, quadam supposi-  
tione posuerunt; ita etiam indivisibilia eius-  
modi non realia & positiva, sed imaginaria  
constituerunt.

Vnde etiam non placent illi, qui dicunt,  
partes quidem in continuo non esse actu sepa-  
rationis, esse tamen actu existentiae: nusquam  
enim ita loquitur Aristoteles, & S. Thomas:  
& si essent ibi actu existentiae, non potuissent  
illi absolute negare, esse ibi actu; quia quod-

liber est, vel non est actu, secundum actum  
existentia; & qui dicit esse ibi actu existen-  
tia, quid aliud dicit, quam ibi habere ac-  
tum existentia, adeoque actu existere? Ari-  
stoteles autem, & Sanctus Thomas negant  
actu existere, nimirum secundum formalem  
rationem huius & illius partis; licet entitas  
corundem existat, ut dictum; cuius rei ra-  
tionem & iam antea assignauimus, & ip-  
sem Sanctus Thomas ibidem explicavit.

Obijcies. Si in continuo non sunt actu par-  
tes componentes continuum; ergo nos male  
superius; cum infinitum secundum magnitu-  
dinem & intentionem oppugnaremus, in no-  
stris rationibus assumptissimus, in eiusmodi  
continuo esse infinitam multitudinem pedum,  
sive graduum &c. ex qua denique infinitate  
secundum multitudinem, deduximus etiam  
impossibilitatem infiniti, secundum magnitudi-  
nem, & intentionem.

Respondeo, nos vere sapposuisse, in quo-  
libet continuo secundum magnitudinem infini-  
tam multitudinem pedum; & in infinito secun-  
dum intentionem, infinitam multitudinem gra-  
duum intentionis; non qua re ipsa & actu esset  
in utroque continuo; sed potentia ita ram-  
en, ut secundum eam sententiam, quam  
oppugnabamus, plane in actum posset reduci.  
Ea enim sententia ponebat, actu infinitum  
secundum multitudinem & magnitudinem esse  
possibile; tum ergo nos recte assumptissimus in  
quolibet infinito secundum magnitudinem, po-  
tentia esse infinitam partium non communican-  
tium multitudinem: qua proinde in actum à  
Deo sine via difficultate utique possit reduci; i-  
tem in quolibet infinito secundum intentionem  
potentia esse infinitam multitudinem partium  
sive graduum intentionis, itidem non commu-  
nicantium: qua proinde etiam à Deo in actum  
possit reduci. Quamuis enim Deus non possit  
reducere in actum partes omnes, qua in con-  
tinuo potentia sunt communicantes & propor-  
tionales, potest tamen non communicantes de-  
terminata magnitudinis; & quidem etiam in-  
finitas, si infinitum secundum multitudinem,  
contradicitionem non implicet. Itaque nos so-  
lide processimus, argumentando ex hypothesi,  
qua aduersarij non negant, neque negare pos-  
sunt: supponendo in quolibet infinito actu infinitam  
multitudinem partium non communican-  
tium, qua ex potentia in actum possit reduci,  
ut dictum.

Obijci etiam præterea possent infinita spa-  
tia extra cœlum; ut & infinitus valor mora-  
lis operum Christi: qua cum non sint entia  
successiva, nec successione includant, non  
possunt non esse infinita actu in suo genere.  
Sed respondeo, spatia extra cœlum non esse:  
vt dicetur dub. 4. adeoque esse non Ens, cu-  
ius nullæ sunt proprietates; quodque proin-  
de nec infinitum est, nec finitum. Valor et  
iam operum Christi solum habet esse morale,  
non physicum: in quo etiam nulla est realis

multitudo aut infinitas; nec secundum numerum, nec secundum magnitudinem, aut intentionem. Et licet in eo destinguiri possint ratione quidam quasi gradus Valoris; re ipsa tamen illic nulla est multitudo eiusmodi graduum. Cum igitur in hoc infinito noui sit villa actualis & realis multitudo vel magnitudo; non continet id villam implicationem contradictionis, qualis in reali multitudine vel magnitudine actu infinita cernitur.

### DUBIUM III.

*An. & qua ratione Deus sit immensus, & ubique praesens, & an ex operatione Dei hoc colligatur.*

S. Thom. I. p. q. 8. 22, 4. h. n. o. i. 2.

**T**riplex est quidem haec quæstio, an & qua ratione Deus sit immensus; & an sit ubique praesens; & an ex operatione Dei hoc probetur. Sed quia quæstiones connexæ sunt, ad eas omnes sequentibus assertioribus respondebimus. Prius tamen notandum ex Alensi I. part. quæst. 6. memb. 1. est quidem vocabulum *immenitus* generatim significare, posse infinitatem Dei, sive quodad esse, seu essentiam secundum se; quo modo simpliciter & absolute dicitur infinitas, de qua actum. dub. 1. sive quodad esse diuinum in ordine ad intellectum; quo modo dicitur incomprehensibilitas, de qua agendum quæst. 6. sive in ordine ad durationem, quo modo dicitur æternitas; hoc loco tamen proprie atque absolute significare infinitatem esse diuini in ordine ad locum, quo modo etiam dicitur *Incircumscrip-* tio, seu potius *Incircumscripibilitas*.

**A**SSERTIO I. Deus simpliciter & absolute est immensus, seu incircumscripibilis in ordine ad locum. Est de fide ex Concilio Lateranensi capit. Firmiter de sum. Trinitat. & fid. Catholic. vbi distincte definitur & dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus DEUS, immensus, aeternus, & incommutabilis, incomprehensibilis.* Idem habetur in Symbolo S. Athanasij; & in Scriptura, Baruch. 3. v. 25. *O Israel, quam magna est domus Dei. & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Et Psalm. 144. v. 3. *Et magnitudinis eius non est finis.* Idem passim assertur SS. Patres; & probat euidenter ratio, vt dicemus.

**A**SSERTIO II. Deus secundum suam substantiam ita immensus est, vt huius mundi ambitu, seu quibuslibet finitis spatijs nequaquam concludatur vel definiatur, aut definiri ullo modo possit; sive loquamus de vi eius replendi loca plura ac pluram in infinitum in actu primo, sive etiam de actuali eius existentia, quæ

proinde nullo loco terminatur aut concluditur. Est extra controversiam apud Sholasticos Doctores; nec potest sine errore negari; Patet ex Scriptura; quæ hoc aperte affert 3. Reg. 8. vers. 27. *Si enim celum, & cali calorum te capere non possunt, quanto magis dominus hic, quam adificari.* Iob. 11. vers. 7. *Postquam vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Excelsior celo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoscet? Longior terræ mensura eius, & latior mari, &c. Quæ verba tametsi non sunt ipsius Iobi, sed Sophonis Naamathita, sunt tamen ab Ecclesia & Ecclesiasticis Doctoribus passim recepta, & adhibentur ad idem institutum comprobandum. Similia sunt illius Eliphaz Theomanita Iob. 22. vers. 12. *An non cogitas, quod Deus excelsior celo sit?* & super stellarum verticem sublimetur. Item Isaia 40. vers. 12. *Quis mensis est pugillo aquas, & celos palmo ponderavit? qui appendit tribus digitis molem terra, & librauit in pondere montes, & colles in statore?* Vbi Deus quasi extra omnem substantiam rei creatæ positus describitur. Idem canit Ecclesia: *Quem totus non caput orbis, in tua se clausit uisera factus homo.*

Idem expresse docent SS. Patres. Optime Sanctus Dionysius cap. 9. de divin. nom. ait., *Deum omnia penetrare, & super omnem magnitudinem se diffundere.* Et in eundem sensum eleganter S. Augustinus lib. 7. Confess. c. 5. *Constituebam, inquit, in confessu spiritus mei universam creaturam, & feci unam massam grandem, distinctam generibus, sane finitam; ut autem Dominus ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed usqueque infinitum, tanquam si mare esset ubique & undique, per immensa spacia, infinitum solum mare.* & haberet intra se spongeam quamlibet magnam, sed finitam, tamen plena esset sponge illa ex omni parte sua immenso mari. *Sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam,* & dicebam: *Ecce Deus, & ecce que creauit Deus, & ecce quomodo ambi, & implet ea?*

Idem eidem probatur ex infinite D E I. Nam immensis Dei, seu magnitudo virtuallis, sive quod idem est, vis Dei existendi in rebus ac locis omnibus, non minus infinita est, quam ipsa eius essentia secundum se, ex qua secundum rationem nostram quasi profluit; Sed essentia DEI secundum se est simpliciter infinita, ex dub. 1. Ergo & immensis seu magnitudo Dei virtuallis, seu vis existendi in rebus omnibus, itidem simpliciter infinita est: Ergo nec vis eius existendi in locis, nec actualis eius existentia (a locis utique in dependens) ullo finito spatio seu loco terminari ac definiri potest.

**A**SSERTIO III. Deus re ipsa intime per essentiam, adeoque substantiam & entitatem suā, praesens est rebus & locis omnibus; ac proinde est ubique. Ita Sholastici omnes, cum S. Thoma hic quæst. 8. art. 1. & 2. & in 1. dist. 37. quæst. 1. & 2. & in lib. 3. cont. gent. cap. 68. contra quosdam Iudeos, & ex Christianis nonnullo

nonnullos, quorum illi Deum templo Hierosolymitano cludebant, apud Sanctum Hieronymum in illud Isaia 66. *Celum mihi sedes: isti vero cœlo;* apud Anastatum Syriacum lib. 2. de rect. fid. dogmat. tom. 1. Bibl. Patrum, & apud Hugonem Victorinum lib. 1. de Sacram. part. 3. cap. 17. & in sum. trac. 1. cap. 4. Quos sicutus est Augustinus Eugubinus in illa verba Psal. 138. *si ascendero in celum:* ubi docet, Deum substantiali sua præsentia solummodo in cœlo esse, sicut sol secundum substantiam in cœlo tantum est, et si luce sua collumstreet omnia; annulla re inquinatus.

Cui sententia, præter Anthropomorphitas, & recentem quendam è Caluini Schola ministrum, admodum fauet etiam Aristoteles, non solum lib. de mundo ad Alexandrum, quem multi Aristotelis esse negant; sed etiam lib. 1. de cœlo cap. 9. Eandem, aut non longe diversam fecuti sunt Manichæi apud Sanctum Augustinum lib. cont. epist. fund. cap. 16. vt & Stoici apud Tertullianum apolog. cont. gent. cap. 47. denique Averroës disp. 14. contra Algarzem, ubi pueros vocat eos, qui dicunt, Deum esse in rebus omnibus.

Sed est error manifestus, vt omnes Theologi recentiores notant, & aperte refelluntur ex Scriptura Iosue 2. vers. 11. *Deus in cœlo sum, & in terra deorsum.* Psalm 138. vers. 7. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sum ptero penas meas diluculo, & habituero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Isaia 66. vers. 1. *Celum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum.* Ierm. 23. vers. 24. *Si occulhabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum,* dicit Dominus. Nunquid non celum & terram ego impleo, dicit Dominus? Sap. 1. vers. 7. *Spiritus Domini repletus orbem terrarum.* Item Act. 17. v. 27. *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* In ipso enim vivimus, mouemur, & sumus.

Idem docent SS. Patres. Cyprianus lib. de vanitate Idol. *Deus est totus ubique diffusus.* Hilarius lib. 1. de Trinit. *Nullus sine Deo locus est.* Augustinus epist. 17. ad Dardanum. *Deus ubique præfens est, & ubique sum.* Similia habent superius citati. Idem ex Philosophis docuerunt Thales, qui dixit *Omnia Deorum esse plena,* apud Aristotelem lib. 1. de anim. cap. vlt. tex. 86. Item Heraclitus apud Aristotelem lib. 1. de part. anim. cap. 5. aliquip Platonici, & Peripatetici apud Ciceronem lib. 1. Acad. qq. Ratio sumitur ex immensitate, & seq. affirmatione.

Recte tamen notat Sanctus Thomas cit. q. 8. art. 1. ad 4. Cum per Dæmones intelligamus Angelos malitia deformatos, non esse absolute dicendum, Deum esse in dæmonibus; sed cum addito, in quantum sunt res quædam. Verba S. Thomas sunt. *In dæmonibus intelligitur & natura, qua est à Deo; & deformitas culpa, qua non est ab ipso.* Et ideo non est absolute concedendum, quod Deus sit in dæmonibus, sed cum hac additione, in

quantum sunt res quædam. In rebus autem, qua non minant naturam non deformatam, absolute dicendum est Deum esse. Sed & Deus secundum effectum, peculiari quandoque ratione in loco uno potius, quam in alio, vt in cœlo esse dicitur; quia in uno loco magis, quam in alio ostendit suam gloriam; ac speciatim quia in cœlo proprio seipsum clare videndum exhibet, non alibi communiter. Quia ratione dicimus Pater noster, qui es in celis. Quod spectat quod S. Thomas cit. quæst. 8. art. 3. notauit, Deum per medium obiecti operationis speciatim esse in rationali creature, qua cognoscit & diligit illum actu vel habitu; eo modo, quo cognitum est in cognoscente & desideratum in desiderante.

Assertio IV. Omnipotentia Dei recte & efficaciter probatur ex operatione Dei in rebus omnibus. Ita S. Thomas hic quæst. 8. art. 1. & lib. 3. cont. gent. cap. 68. Ferrariensis, Caetanius, & omnes Thomistæ ibidem, Alfonso-rensis lib. 1. cap. vlt. quæst. 1. Albertus in 1. dist. 37. art. 1. Alensis 1. part. quæst. 9. m. 2. Bonaventura d. 37. 1. p. art. 1. quæst. 1. Egidius, Durandus quæst. 1. Richardus art. 1. quæst. 1. Aureolus quæst. vnic. art. 2. Capreolus quæst. vnic. concl. 1. Argentina art. 1. Marsilius quæst. 39. Maior q. 1. Henricus in sum. art. 30. quæst. 5. Gregorius de Valentia hic quæst. 8. punc. 1. Suarez Metaph. tom. 2. d. 30. sec. 7. & hic lib. 2. cap. 2. n. 7. Molina hic quæst. 8. art. 1. dub. 2. ubi contrariam sententiam vocat non solum falsam, doctrinæque Aristotelis aperte contrariam, sed etiam parum tutam in fide; cum videatur repugnare quibusdam Scripturæ locis, vt dicuntur.

Sed omissa hac censura, nihilominus eam ipsam contrariam sententiam tradunt Scotus in 1. dist. 37. quæst. vnic. Bassolis art. 3. Mayron quæst. 1. art. 2. Aquila art. 1. Rubion. q. 2. Lychetus, Bargius, Ockham q. vn. Gabriel quæst. vn. art. 2. dub. 1. & fere Vafquez hic d. 28. n. 13. dum ait; *hactenus id eo medio non sufficienter probatum;* & difficulter posse eo medio probari.

Probatur tamen assertio ex Scriptura, in qua ratio diuinæ præsentiae redditur ex operatione. psal. 138. v. 10. *Si ascendero in celum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sum ptero penas meas diluculo,* & habituero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et Apostolus Act. 17. vers. 27. & 28. *Non longe est ab unoquoque nostrum.* In ipso enim vivimus, mouemur, & sumus. Vbi hoc idem etiam indicant SS. Patres.

Ratio esse debet; non quidem quasi vel ipsa præcisè transiens operatio, Deo, alijsque Spiritibus sit ratio existendi in rebus, vt indicat S. Thomas hic. quæst. 8. art. 1. & 2. & cum Caetano, & Ferrariensi loc. cit. docent Thomistæ recentiores; quod suo loco de Angelis refellimus. Nec quasi realis præfens sit vauiersim, aut conditio prærequisita ad operandū, seu efficiēdā rē aliquā; aut hoc loco vlo modo naturā prior operatione: sic enim Deus naturā prius existere debuissest in-

mundo, quam crearet mundum; qua in re consentiunt etiam Caietanus, Ferrariensis, & Thomista alij, qui docent, presentiam huiusmodi non requiri, quasi quid necessarium ad operationem, sed consequenter, ut effectum ipsius. Nec quasi vniuersim de ratione agentis immediate immediactione suppositi sit, realiter esse presentem passio; adeoque contradictionem impliceat, actionem hoc sensu fieri in distans, vt Molina, & ex parte Suarez indicant; quod bene refellit Valquez cit. cap. 5. sed tum quia est de ratione agentis perfectissimi, adeoque primi & infiniti, qualis Deus est, vt eius essentia, non minus quam virtus, sit infinita & immensa, adeoque realiter praesens ubique, vt recte Gregorius de Valentia loc. cit. & Suarez hic n. 7. Tum quia si agens efficit limitatum ad certum aliquem locum, hoc ipso finitum efficit, adeoque impotens ad operandum in distans. Tum quia si Dei potentia est infinita, non minus praesentia erit infinita: qua ratione ipse etiam Vasquez tandem concedit num. 16. ex potentia & operatione, immensitatem Dei in rebus recte probari: quidquid Bassolis in 1. dist. 37. quest. vn. art. 1. & 3. dixerit; sola fide probari posse presentiam Dei ad res omnes; nec rationes, quibus aliqui probatur, esse evidentes.

Atque ad predictum etiam sensum fatendum est, Deum si impossibile alicubi non efficit, eo loco operari non posse: licet alio sensu, id meo iudicio verisimilius negetur; nimurum si ponamus, Deum, quamvis a loco aliquo absente, nihilominus habere ac retinere vim & potentiam suam infinitam in operando. Tunc enim, quia operari in distans, adhuc efficit quaedam perfectio in agendo, vendicans independentiam a contactu quantitatiuo, & illimitationem virtutis actiuze, non video; qua ratione infinito agenti possit negari: praeferimus cum re ipsa nunc etiam actualis Deipræsentia agentis, ad rem, seu locum ubi agit, non sit conditio prærequisita ad agendum, sed aliquid consequens ad actionem, vt dictum.

Arque ita præter Vasquium, & alios citatos contra positam assertione, docet etiam Suarez Metaph. loc. cit. eti contrarium afferat Molina, & alij quidam recentiores, rati, non minus impliceare contradictionem, ut aliquid immediate agat in distans, quam vt aliquid immediate agat, non existens e tempore, quo est actio: cum tamen hac intervrumque sit aperta disparitas ratio; tum quod non existentia agentis tollit ipsam quoque vim agendi, non autem distantia localis; tum quod coexistentia cum actione immediate agentis, est conditio necessaria ad eam prærequisita, non autem praesentia localis ad effectum sive actionem, vt dictum. Cum ergo per distantiam localem ab effectu seu actione, in nostro casu, nec tollatur vis activa, eademque infinita Dei, vt supponimus, nec desideretur, nullum aliud principium, aut villa conditio prærequisita ad agendum; quidam dicendum sit, Deum ex predicta hypothesi nihilominus agere posse.

Assertio V. Deus non est in loco circumscripti, nec definitivus, nec omnino proprius, sed im-

proprius. Ita Magister in 1. dist. 37. Alensis 1. p. quest. 9. m. 1. Albertinus 1. dist. 37. art. 7. Bonaventura ead. dist. 1. p. art. 1. quest. 2. Durandus ibid. quest. 2. Gabriel quest. vn. art. 2. Argentina art. 1. & consentit S. Thomas quest. 8. al. 2. ac communis Doctorum. Eodemque sensu SS. Patres quandoque absolute dicunt, Deum non quam esse, vt Chrysostomus hom. 5. in cap. 2. Coloss. & alij Ratio sumitur ex notione terminorum; nam circumscripti esse in loco, est commensurari loco, ita ut totū locatū totū loco, & pars parti respondeat; quod de Deo non potest dici, vt patet. Definitivus esse in loco est loco definiti, ita ut existentiali locati non excedat locum, adeoque locatum continetur & includatur loco; quod Deo non conuenire patet ex assert. 2. Vnde sequitur etiam, proprius non esse in loco, quia conditiones loci, quas ex Aristotele 4. Physic. recenset Bonaventura in 2. d. 2. art. 1. q. 3. nimurum continere, mensurare, & seruare locatum, non conuenit Deo. Sed haec ratio solum procedit de loco naturali rerum naturalium. Ratio igitur vniuersalis est; quia de ratione omnis loci est, continere aliquo modo locatum, & terminare, ubi locata est in secum locati: quorum neutrum Deo conuenit: non primum, ex dictis: non secundum, quia Deus nullam habet habitudinem realem ad creaturam, vt q. seq. dicetur. Et quamvis ob hanc quidem causam recte negetur de Deo, esse locabilem, vel locatum, & similia, quæ vnu loquendi Doctorum non sunt recepta; non tamen simpli citer & absolute dicendum est, non esse in loco, vt notavit Alensis loc. cit. m. 1. quia contrarium vnu est receptum, & negationes sunt malignantes natura.

Assertio VI. Deus est in loco repletus, totus in toto, totus in qualibet parte loci. Ita S. Thomas hic quest. 8. art. 2. Alensis 1. p. quest. 9. m. 1. & 3. Altisidorensis lib. 1. cap. vlt. quest. 1. Bonaventura, Durandus, Gabriel, loc. cit. & alij communiter. Et posterior pars patet ex quest. 2. quia Deus est plane simplex, adeoque indivisibilis, multo magis quam anima, vel Angelus.

Prior pars sumitur ex citatis Scripturis, Sap. 1. *Spiritus Domini repletus orbem terrarum.* Hierem. 2. 3. *Nunquid non calum & terram ego impleo?* dicit Dominus. Eodem modo sepe loquuntur SS. Patres, in quibus Damascenus lib. 1. de fide cap. 16. & 18. *Cuncta, inquit, substantia implexa, omnia continens, mundumque substantialiter replens.* Ratio est: non solum quia Deus effectivus res omnes & singulas repletus, quas habent perfectionibus, conservando eas in suo esse quod habent: sed etiam quia per indistantiam praesentia sua terminat capacitatem cuiusque rei, quam habet ad coexistendum Deo: tametsi aliqui haec repletio sit solum impropria & metaphorica. Qua metaphorae etiam creature dicuntur aliquando plena donis gratia. &c.

Assertio VII. Deus recte dicitur esse ubique per essentiam, presentiam, & potentiam. Ita S. Thomas hic quest. 8. art. 3. & communis Doctorum

rum in 1. distinct. 37. ex sancto Gregorio homil. 8. in Ezech. quidquid Aureolus in 1. distinct. 37. quæst. vnic. art. 3. negare videatur, hos tres modos existendi in rebus, esse inter se (ratione nostra) distinctos.

Probatur & declaratur ex Sancto Thoma ibidem, omisso varijs aliorum explicationibus. Quia in rebus creatis substantia intelligens tripliciter esse potest: primo, ratione sua virtutis & operationis, sive potestatis, quomodo Rex est in suo regno: secundo, ratione intuitus, quo modo omnia, quæ in cuiusque con-spectu sunt, dicuntur ipsi esse præsentia; v. g. omnia, quæ etiam in aliena domo sunt, etiam si quis secundum substantiam non sit in qualibet parte domus: tertio, ratione substantia vel essentia; quo modo res est in eo loco, in quo substantia eius existit: Iam vero Deus est in rebus omnibus, his omnibus modis; nimur per potentiam, in quantum omnia eius potestati subjiciuntur, & quatenus ipse operatur in omnibus: per præsentiam, in quantum omnia nuda sunt & aperta oculis eius: denique per essentiam, quia per suam substantiam intime præsens est rebus omnibus, ut superius dictum.

Quod quidem ita defendendum est, contrariuplicem errorum; primum Manichæorum, qui spiritualia solum & incorporea diuinæ potestati subiecta esse dicebant; inuisibili vero & corporalia potestati principij contrarij: secundum eorum, qui dicebant, inferiora hæc non esse subiecta diuinæ prouidentiæ, iuxta illud Iob. 22. vers. 14. Nubes laibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines celi perambulat: tertium eorum, qui docebant, non omnia immediate à Deo fuisse creata, qui proinde Deum secundum substantiam à rebus quibusdam abesse indicabant: de quibus erroribus suis locis sigillatim agendum. Præter hos verò tres modos, sunt adhuc duo alij, quibus Deus est in Creatura rationali; nimur vel per donum gratiae, vel per subsistentiam terminando naturam, sicut Verbum est in natura humana Christi, ut notauit Sanctus Thomas ibidem, de quibus suis locis agendum.

Assertio VIII. Attributum immensitatis Deo necessario, & ab aeterno conuenit: prædicarum vero Omnipræsentia sive vbiqutatis actualis absolute loquendo, libere, & solum ex tempore. Ita Sanctus Thomas in 1. dist. 37. quæst. 2. artic. 3. Alensis 1. p. quæst. 9. num. 4. Albertus dist. 37. artic. 4. Bonaventura distinct. 37. 1. p. artic. 2. quæst. 2. Egidius quæst. 3. Argentina quæst. 1. artic. 1. Gabriel quæst. vnic. artic. 3. Suarez 1. p. sib. 2. cap. 2. num. 5. Vasquez 1. p. quæst. 8. artic. 4. Probatur & declaratur. Quia immensitas in Deo dicit quasi actum primum, hoc est, vim existendi infinitam in ordine ad res, & loca alia; ita ut formaliter & ultimata in diuina existentia significet negationem termini, seu terminabilitatis, ex parte loci, seu rerum, in quibus Deus existit, aut existere potest: quo circa formaliter non includit coexistentiam creature.

At verò Omnipræsentia & Vbiqutitas dicit aliiquid positivum, & quidem quasi actum secundum, sive actualem præsentiam Dei in rebus & locis omnibus, ex immensitate ortam; quo fit, ut existentia Dei formaliter superadat, non quidem modum aliquem intrinsecum ipsius Vbi, ut in rebus creati's accidit: aut quicquam omnino reale intrinsecum Deo; sed certe tamen denominationem extrinsecam, seu relationem rationis, ex eo ortam, quod simul cum Deo coexistunt res aliae creatae; que quia simpliciter non esse potuerint, fit ut hoc prædicatum formaliter & complete acceptum, in Deo, sit liberum, & ex tempore Deo conueniens, non necessario & ab aeterno: etsi fundamentaliter dici possit necessarium; quia nimur Deum vi immensitatis suæ, tantam in existendo perfectionem habet, ut contradiccionem implicet, eum non intime præsentem esse rebus & locis omnibus, posita existentia eorumdem: sicut absolute liberum erat Deo, cognoscere existentiam creaturarum; at hac tamen supposita, necessario eam cognoscit; quia si non cognosceret, iam terminata & finita foret eius scientia.

Sunt tamen interim quidam, in quibus Alensis & Bonaventura loco citat. Hugo Victorinus in sum. sentent. tractat. 1. capit. 4. qui dicunt, Deum ab aeterno fuisse vbiique; quia fuit in se ipso, & quasi in sua immensitate, que æquipollit omni loco: sed quæ locutio impropria est.

Assertio IX. Attributum sive prædicatum utrumque, tam Immensitatis, quam actualis Omnipræsentia, ex vi propria & necessitate naturæ, est Deo ita proprium, ut nulli creaturæ possit esse commune. Ita Sanctus Thomas hic quæst. 8. artic. 4. & in 1. dist. 37. quæst. 2. artic. 2. Alensis 1. p. quæst. 9. mem. 5. Albertus in 1. distinct. 37. artic. 8. Bonaventura 1. p. dist. artic. 2. quæst. 1. Argentina quæst. vnic. artic. 1. Maior quæst. 1. Et est communis Doctorum, ac SS. Patrum. Probatur. Tum quia implicat contradictionem, aliquam creaturam secundum extensionem esse infinitam actu, ex dictis dub. præcedent. Tum quia etiam si aliqua creatura ob suam infinitatem magnitudinis corporeæ haberet vim existendi vbiique, ac etiam in infinitis locis; non tamen esset vbiique per se primo, ac secundum se, totam, sed solum secundum partes. Tum quia, esto etiam posset esse vbiique secundum se totam, non tamen id fieret ex vi propria & necessitate naturæ, sed ex dono ac voluntate Dei. Plura assert. 11.

Assertio X. Nihil tamen interim obstat, quo minus actualis Vbiqutitas seu Omnipræsentia, generali quadam ratione, communicetur etiam creature. Ita Sanctus Thomas ead. quæst. 8. artic. 4. ex communi, Probatur & declaratur ex sancto Thoma ibidem. Quia vbiqutitas actualis duplicitate alicui conuenire potest; nimur primo & per se, deinde ratione alicuius partis, & per accidentem. Primo esse vbique dicitur illud, quod secundum se totum, & non solum secundum aliam & aliam sui partem est

vbiique: per se vero, cui non conuenit esse vbiique per accidens, nimur ratione alicuius suppositionis. Nam ergo licet hoc modo nulla creatura naturaliter possit esse vbiique, potest tamen esse alio illo modo. Quia si ponamus, materiam primam esse eiusdem rationis in omnibus creaturis, tum illa, ratione diuerferum partium, erit vbiique etiam naturaliter, vt indicat S. Thomas ibidem ad primum. Si etiam supponamus, nullum aliud corpus esse, praeter unum aliquod granum milij, iam illud erit vbiique; per accidens, etiam sine alio nouo miraculo, vt fatetur etiam S. Thomas eod. a. 4. in Corp.

Sed & supernaturaliter, ac per absolutam Dei potentiam, nihil obstat, quo minus etiam stante hoc toto vniuerso, imo etiam crescente eius magnitudine, res aliqua creata, praesertim incorporea, secundum se totam sit vbiique in toto vniuerso, non quidem ipsam etiam vbiquitatem & Omnipotentiam Dei, quam eius propriam esse diximus, sed aliqua participata vi longe inferioris ordinis, vt recte docent Scotus in. 4. d. 10. quest. 2. art. 3. Sotus 4. Physic. quest. 2. art. 3. Roffensis lib. 1. de Eucharistia contra Oecolampadum cap. 33. Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 2. n. 12. & 3. p. d. 37. sec. 4. & probabile censet Gregorius de Valentia hic quest. 8. p. 4. Ratio est; quia nulla adferri potest ratio, quae ostendat hac in re implicationem contradictionis.

**Assertio XI.** Reipsa tamen, & de facto, nulla creatura pura est vbiique totaliter; Ita cum Sancto Thoma loc. cit. habet communis Doctorum sententia: contra Durandum in 1. d. 37. p. 2. quest. 1. & 2. qui Angelum docet esse necessario vbiique praesentem, eo modo, quo praesens alicui loco dici potest; de qua re ex instituto agendum disp. 5. Probatur ex Scriptura & SS. Patribus, quatum Angelis, tum etiam categoris rebus omnibus creatis tribuunt motum, localem, qui repugnat subiecto existenti vbiique. Ratio contra Durandum est. Quia proprietates rei cuiusque respondent ipsi essentiae eiusdem rei: cum ergo essentia cuiusque rei sit finita, etiam Essere in loco, quae eius proprietas est, necessario finita est; ita ut detur determinatus aliquis & finitus locus, quo maiorem occupare res naturaliter non possit.

Addit tamen Durandus cit. quest. 1. num. 33. Angelum non idcirco esse vbiique, sicut Deus est vbiique. Quia vel nullus Angelus potest omnia corpora mouere localiter: vel quia Deus est vbiique, sicut causa replens omnem locum suis effectibus: & sicut causa conservans omnem locum, & omne locatum; & sicut causa, cuius prima operatio non supponit emittentem loci, vel locati, ad hoc, ut agat; sed totum producit. Angelus vero nullo istorum modorum est vbiique; sed solum sicut illud, quod ex ordine naturae habet habitudinem ad mouendum quolibet corpus: proper quod ex eodem ordine habet, quod sit cuiuslibet corpori praesens quia sine praesentialitate non potest mouere. Ita Durandus. Dixi vero puram Creaturam; quia Christum secundum humanitatem non esse vbiique, ex instituto probandum est contra Vbiquistas tom. 4. de Incarnatione.

## D V B I V M IV.

Vtrum Deus sit etiam in aliquibus spatiis, extra cœlum & mundum; & quid sentiendum de vacuo.

Ad S. Thom. 1. p. q. 8. a. 1. & 2.

**R**Es haec etiam in admodum controversa est inter Theologos, etiam si à S. Thomas ex instituto non pertractetur. Nam quod ad spatia imaginaria extra cœlum attinet, affirmatiuam sententiam tenuerunt Maior in 1. d. 37. quest. 2. & in 2. dist. 1. quest. 1. Palatius in 1. dist. 37. disput. 2. Marsilius Ficinus lib. 2. de immort. anim. cap. 6. Caeteranus in. Ioann. capit. 12. Sotus lib. 4. Physic. questio. 2. Fonseca lib. 5. Metaphysic. cap. 15. quest. 9. sec. 4. Molina hic quest. 8. art. 1. disp. 3. Gregorius de Valentia quest. 8. punc. 1. Zumel ead. quest. 8. art. 2. Suarez tom. 2. Metaphys. disp. 30. sec. 7. à num. 30. Idem senserunt Plato, Aristoteles, & alij Philosophi apud Eugubinum lib. 4. perenn. philos. cap. 1. & 2. Et citatur pro eadem S. Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 5. quasi id eo loco expresse senserit. Fauet etiam S. Thomas quodlib. 11. a. 1. vbi dicit, Deum non tanum esse in his quæ sunt, sed etiam quæ possimus imaginari.

Negatiuam autem sententiam tradunt Richardus in 1. dist. 37. a. 1. quest. 4. Scorus, Lycetus, Bargius ibid. quest. num. Marsilius quest. 39. art. 2. Capreolus d. 37. quest. vn. ad 4. Scotti, & communis Thomistarum, qui cum assertant, Deum non esse in aliquo alteri, quam per operationem, consequentem est; Deum, ex eorum sententia, in vacuo, aut spatiis illis imaginariis esse non posse. Eadem sententiam magna contentione propugnat Vasquez hic disp. 29. cap. 2. & de spatiis illis imaginariis sequitur Gillius l. 2. tract. 9. c. 18. num. 5.

Equidem semper existimauit, hac de re vix posse controversiam esse, nisi de nomine & modo loquendi, vt etiam notarunt Gregorius de Valentia, Molina, & Suarez; cum haec duo, quae ad rem ipsam pertinent, apud omnes sint in confessio. Primum est. Dei existentiam & immensitudinem mundi huius ambitu non contineri, definiri, aut concludi, vt pater ex dub. praed. Alterum est. Deum non ita esse extra mundum, ut illic sit, tanquam in aliquo vero, reali, ac positivo loco; aut quasi illuc habeat realem in seipso extensionem, per infinita quædam, seu vera, seu imaginaria spatiis; quia nec illus illic est realis locus, aut reale spatiu: nec etiam illa in Deum cadere potest extensio, qui summe spiritualis est. Dubium nunc manet de modo loquendi potius, quam de re ipsa; an vere ac proprio quodam sensu dici possit, Deum esse in spatiis quibusdam extra mundum, vel alicubi extra mundum, aut simpliciter extra mun-

mundum : cum quo connexa est etiam similis quæstio ; An Deus esset etiam in vacuo , si eiusmodi vacuum daretur ; ad quas quæstiones sequentibus assertionibus respondeo .

3 Assertio I. Deus simpliciter & absolute loquendo , non est in spatiis imaginarijs , seu vallis spacijs , aut spatio extra mundum . Ita Authoræ secundæ sententia & consentiunt Patres , dum docent , ante mundum conditum Deum nusquam fuisse , nisi in seipso : in quibus Tertullianus lib. cont. Præxam capit. 5. vbi ait : *Ante omnia D E V S erat solum , ipse sibi & mundus , & locus , & omnia.* Idem docent S. Augustinus in Psalm. 122. vers. 5. *Qui habitas in celis.* Bernardus lib. 5. de confid. capit. 6. vbi ait : *Alius vero ubi erat antequam mundus fieret , ibi est : non est quod quæras ultra , ubi erat ; præter ipsum nihil erat : ergo in seipso erat.* Quibus concinunt antiqui illi versiculi quos recitat Dionysius Carthusianus in 1. dist. 37. quæst. 1. dum à Theologis hac in re usurpati , quos inferiorius referimus assert. 4. Eandem fuisse sententiam Augustini in eo ipso loco , qui pro opposita sententia fuit citatus , paulo post ostendemus . Omitto aliorum Patrum testimonia , quæ videri possunt apud Vasquez l. c.

Probatur assertio primo . *Quia nemo vere & propriè dici potest , esse in spatio solum ficto & imaginario , quod plane non ens , seu ens mere fictitium est ; sed spaciū illud extra mundum est spaciū solummodo fictū , ne ipsa vero plane nihil , & non ens : Ergo vere & propriè dici non potest D e M esse , in illo spacio extra celum.* Maior probatur ex Aristotele 4. Physic. text. 18. vbi ait : *semper id quod alicubi est , & ipsum esse aliquid , & alia aliquid extra ipsum.* Vbi aperte docet , nihil dici posse esse in eo , quod penitus nihil , ac non ens est . In. quem sensum etiam Bonaventura in 1. distinct. 37. punc. 2. artic. 1. quæst. 2. ait : *stultum esse dicere , D E V M esse in eo quod nihil est.* Nec verò quicquam negaret absurdum esse dicere , Deum esse in Hircoeruo , aut Hippocentauro . Et ratio est ; quia cum aliquid dicitur esse alicubi , significatur habitudo quædam ad illud , & denominatio realis , saltem extrinsecus ab illo : at verò ab eo , quod nihil est , non potest fieri vila denominatio realis , vt patet : Ergo , &c.

4 Minor propositio probatur . Quia si spaciū illud non esset merum nihil , & non Ens , saltem esset verum aliquid spaciū : nihil enim aliud , extra mundum vniuersum , & rem omnem creatam fingi potest : sed non est verum aliquid spaciū . Tum quia ab omnibus vocatur spaciū *imaginarium* ; quod autem solum imaginaria est tale , vere non est tale . Tum quia , si verum aliquid spaciū esset , infinitum esset ; quod est absurdum ex dub. 2. Tum quia spaciū propriè dictum non est , nisi capacitas & intercapedo , seu interuallum aliquibus terminis interceptum , vt patet ex communī notione vocabuli , & vsu loquendi : extra mun-

dum verò nulli sunt eiusmodi termini , sed merā ac nudissima negatio creati entis : Ergo non est ibi verum aliquid spatium , sed merum nihil & non ens .

Secundo . Si D e u s esset in spatijs extra mundum , runc in illis fuisset etiam ante mundum conditum : Sed hoc non potest dici : Ergo , &c. Maior patet ; quia Authoræ contraria sententia dicunt Deum semper & necessario , ac ex vi sua imministratis , esse in illis spatijs . Minor probatur . Quia spacia illa , ante mundum conditum , eodem modo se habebant , sicut tempora imaginaria ante eiusdem mundi conditionem , vt docet sanctus Augustinus lib. 11. de ciuitat. Dei capit. 5. & satis agnoscit Suarez loco citat . Sed non recte dici potest , Deum fuisse in tempore , ante mundum conditum : Ergo nec vere dici potest fuisse in illis spatijs imaginarijs , ante mundum conditum .

Tertio . Vbi Deus est per essentiam , ibi est etiam per presentiam , & potentiam , iuxta S. Thomam hic quæst. 8. art. 3. & communem : sed in spatijs extra mundum non est Deus per potentiam ; cum ibi nihil operetur ad extra : Ergo nec ibi per essentiam .

Quarto . Eadem est expressa sententia Sancti Augustini lib. 11. de ciuit. Dei cap. 5. qui proinde immixto pro contraria sententia citatur . Rem non satis à Vasquio explicatam ita declaro . Disserit enim illic Sanctus Augustinus contra Philosophos , afferentes , mundum fuisse ab æternō , & non primum in tempore à D e o creatum ; eo quod alias fatendum esset , Deum infinito tempore otiatum fuisse ; quod illis absurdum videbatur : quos Sanctus Augustinus ita redarguit : Si infinita admittenda sunt tempora , ante creatum mundum , in quibus D e u s fuerit otiatus , vt ipsi dicebant , tum etiam infinita admittenda esse loca seu spacia , extra hunc mundum , in quibus D e u s ab æterno fuerit , atque etiamnum sit . Tum facta hac suppositione , ita quasi ad hominem argumenterat : Aut Deus in illis spatijs operatus est aliquid ; aut nihil : Si operatus est aliquid ; ergo necesse erit dicere , ab eo factos infinitos mundos : quod ipsimet tamen aduersarij velut absurdum negabant . Si nihil operatus fuit in illis spatijs , tum etiam absurdum illis videri non debet , D e M in tempore illo infinito nihil fuisse operatum . Quod si uero dicant aduersarij , extra mundum nulla esse spacia locorum , & homines falli , imaginantes sibi talia loca , in quibus sit Deus ; tum etiam pariter illis respondebitur , eos non minus inaniter ante mundum cogitare infinita tempora , quibus D e u s vacauerit . Hic est discursus sancti Augustini ; ex quo patet , ipsum infinita illa spacia extra mundum , Deumque in illis existentem , nequaquam ex sua posuisse sententia ; sed solum facta suppositione , ex mente aduersariorum , vt eos ad absurdum deduceret , atque pariter obiectam ab eis absurditatis speciem amoliretur .

Verba S. Augustini loco cit. sunt ista, si (Philosophi illi) infinita spatio temporis ante mundum cogitant, in quibus eos non videatur DEVS ab opere cessare potuisse; similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatio locorum: in quibus si quisquam dicat, non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro summare cogatur? &c. An forte (potius) substantiam DEI, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eum sicut de DEO sentire dignum est, fatentur incorporeas presentias ubique totum, à tantis locorum extra mundum spatiis (quæ nimurum Philosophi illi ex hypothesi admittere coguntur) absentem esse dicturi sunt, & uno tanum, atque in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatum? Non opinor eos in hac vanologia progressuros &c: facta nimurum suppositione, quam ex mente aduersariorum præmisserat, dari videlicet extra mundum eiusmodi locorum spatiis. Et denique in fine capituli concludit: *Quod si dicunt, manes esse hominum cogitationes; quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit praeter mundum: respondetur eis, isto modo (etiam) inanis homines (ipsos nimurum illos Philosophos) cogitare præterita tempora vacationis Dei; cum nullum tempus sit ante mundum. Vbi aper-te vides, tantum à mente Sancti Augustini abesse, ut existimaret, infinita locorum spatio extra mundum esse, in quibus Deus existeret, ut potius hoc non minus pro absurdio haberet, quam quod Philosophi illi asserebant, fuisse infinita tempora ante mundum, & Deum in illis.*

Neque vero huic sententiæ aduersatur Sanctus Thomas cit. quodlib. 11. art. 1. Solum enim vult dicere, imaginationem cuiuscunque rei existentes, secum etiam necessario trahere imaginationem præsentia DEI; nec fieri posse, ut res aliqua cogitetur existere, quin etiam DEVS in ea existere cogitetur, ex hypothesi.

Neque item huic assertioni obstat illud, quod quidam recentiores dicunt, Deum realiter existere in spacio extra hunc mundum, etiæ desit relatio seu habitudo ad ipsum spatum, in quo est. Nam præterquam quod habitudo illa (que vniuersim in præsenti solum est rationis) sequitur existentiam DEI in aliquo; hoc ipso, quod nulla est habitudo ad spatum, nec via denominatio realis a spatio (quam tamen alioquin etiam præter absolutam præsentiam significari dicunt, cum aliquid dicitur esse in loco) non potest vere dici, Deum esse in spatio extra hunc mundum.

7 Assertio II. Non recte etiam simpliciter dicitur, Deum esse alicubi, seu alibi extra mundū. Ita communis Authorum, quos citoimus pro secunda sententia, & consentiunt Bonaventura, & Richardus citandi assert. 3. Probatur ex dictis. Quia alicubi vel alibi sunt aduerbia loci; ac prouide in præsenti significant aliquid extra mundum, à Deo distinctum, in quo sit

DEVS, iuxta citatum locum Aristotelis; sed non est locus extra mundum, imo nihil est extra mundum à Deo distinctum, in quo sit Deus; Ergo. &c.

Assertio III. Non vere etiam sine addito dicitur, Deum esse extra mundum, si quouis modo indicetur, esse in alio, quam in seipso. Est itidem communis apud citatos. Ratio est eadem. Quia extramundum aliud nihil est, in quo sit Deus. Et sane in rigore verborum, & iuxta proprietatem sermonis, Extra & Intra ad locum relata, ex communi loquendi usu non priuatiue aut contradictorie, sed contrarie sibi opponuntur: Ergo ubi nihil possitum est, proprie & stricte Extra non est, ad-eoque ne caliquid extra.

Assertio IV. Deus tamen est non solum in hoc mundo, sed etiam in seipso, & quidem ab æternō, ac independenter ab omnimundo. In hac re conueniunt Authorē vtriusque sententiæ: & est communis doctrina SS. Patrum, qui dicunt, Deum in seipso fuisse, & esse ab æternō, independenter à mundo, ut dictum supra assert. 1. Praclare S. Augustinus in Psal. 122. Dicit, inquit, aliquis, ante quam saceret Deus sanctos ubi habitarab? In se habitabat: Deus apud se habitabat; & apud se est Deus. Eundem hac in sequuntur orationes Theologi, speciatim etiam Alemans 1.p. quest. 9. m. 4. Albertus dist. 37. art. 4. Corp. & ad ultimum, Bonaventura, Egidius, Argentina, Gabriel cit. dist. 37. dum aiunt, Deo ab æternō minime conuenire, ubique esse, quatenus hoc loquendi modo significatur alibi esse, quam in se; secus si accipiatur pro eo, quod est in seipso esse. Idem habent versus antiqui, quos recitat Carthusianus d. 37. q. 1.

*Dic ubi tunc esset, cum prætereum nihil esset?*  
*Tunc, ubi nunc; in se; quoniam sibi sufficiat ipse.*

His consentit etiam Vasquez loco c. nu. 6. Ratio pater, Quia existentia Dei vtique æternā est, ac independens à mundo: Ergo Deus antem mundum, & independenter à mundo existebat: non in alio; Ergo in seipso tantum. Eandem vero existentiam Dei, cum absoluta, necessaria, & immutabilis sit, vtique necesse est, etiamnum perdurare. Ergo Deus etiamnum est in seipso independenter à mundo.

Vnde sequitur etiam non esse tantum in hoc mundo; si enim in seipso quoque existit, inexplicabili quadam immensitate, & quidem independenter à mundo, certe non in mundo tantum existit, eo præsentia modo, qui iuxta ultimum sui complementum (quod est denominatio extrinseca, seu respectus rationis) dependet à mundo, ut dictum dub. præced. Quod etiam docuit S. Thomas 1. dist. 37. quest. 2. art. 3. vbi ait: *Deo non conuenire ab æternō ubique esse; non defectu sui; sed defectu rerum, qua ab æternō non fuerint, ut alicubi Deus esset.* Nec tamen illa Dei existentia, ab hac respectiva simplicitate, alia dicenda est; sed eadem: illic absolute & secundum se spectata, hic cum respectu rationis, & denominatione extrinseca. Neque vero vocula *In se*, in præsenti significat locum,

sed

fed independentiam, ab alio loco; & illam, ut ita dicam, per se existentiam existentia Dei.

Affirmatio V. Recte quoque dici potest, Deum esse extra mundum, si vel addatur in seipso tantum, vel certe vocula. Extra solum accipiatur negativo pro eo, quod est, non intra tantum. Ita præter Authores primæ sententiae Richardus in 1. distinct. 37. artic. 1. quest. 4. vbi ait: Respondeo, quod *DEVM* esse extra mundum dupliciter potest intelligi: uno modo ita, quod immensitas eius excedit mundum; & sic verum est, *DEVM* extra mundum esse. &c. Alio modo potest intelligi, *DEVM* esse extra mundum ita, quod sit dare spatiū extra mundum, in quo sit *DEVS*; & sic falsum est. Hoc enim ponere, esset confirmare opinionem ilorum, qui opinantur, ultra ultimum cœlum esse spaciū infinitum, qua opinio falsa est. Item Bonaventura dist. 37. punc. 2. artic. 1. quest. 3. Extra, inquit, uno modo dicitur *stūm* & positionem; & sic impossibile est, *DEVM* esse extra omnem locum. Alio modo, Ante & Extra dicunt excessum, & superexcellētiā diuinā immensitatis, & aternitatis, respectu temporis & loci: & sic concedendum est, quod *DEVS* est ante tempus, & extra omnem locum. Eodem sensu Barnes hic quest. 8. artic. 2. ait, *DEVM* non esse actu in loco extra cœlum; esse tamen extra cœlum in seipso; si particula. Extra accipiatur pro eo, quod non est intra limitate. Idem absolute, & simpliciter assert Gillius loc. citat. capit. 20. vbi ait: Cetera sententia est, *DEVM* existere actu & realiter extra mundum, & super omnes cœlos: quod accipiendum iuxta explicationem dictam.

Sed nec ceteri Auctores, pro secunda sententia citati, alieni sunt ab hoc modo loquendi. Quamuis enim Vasquez loco citat. numer. 14. & 22. simpliciter negare videatur, Deum esse extra cœlum, tamen numer. 16. concedit, cum dicta explicatione. *DEVS*, inquit, aut aliud spiritus esse non potest extra cœlum in alio, quam in seipso. Imo etiam citat. numer. 14. paulo antea dixerat: Si corpus extra cœlum non dicitur esse in aliquo spacio, nec in alia, quam in seipso, nulla ratione dici potest, *DEVS*, aut Angelus extra cœlum in alio, quam in seipso esse. Ratio est; tum quia hoc loquendi modo non significatur aliquid aliud, quam *DEVM* non circumscribi hoc uniuerso, sed habere existentiam in seipso, independentem ab hoc mundo; quod verum esse patet ex assert. præcedent. tum quia negari non potest, posse à *DEO* extra hunc mundum creari vel constitui, tum corpus, tum Angelum; qui reuera hoc sensu extra mundum esse dicentur; saltem in seipsis, si non in aliquo loco, vel spacio.

Dices. Imo etiam isti recte dicentur esse in aliquo spacio extra cœlum. Respondeo primo; & hoc ipsum de utroque negari à Vasquez citat. numer. 14. quia nec tum quidem esset aliqua vera intercapēdo seu interuallum intra terminos reales; ab illis substantijs distinctos, interceptum. Responderi potest secundo, cum eodem Vasquez numer. 16. & 24. aliam esse rationem *DEI*, sine spiritu, aliam corporis; nam hoc cum sit in seipso extensum, secum ip-

so fert extensionem in spacio, in quo est, ita ut saltē intra extimam eius superficiem, recte & vere concipiamus aliquod spatiū interceptum; in quo proinde ipsum corpus esse dici potest: atqui *DEVS* in se minime extensus est, ac proinde nee per se aliquam spatiū extensionem facere potest. Idem cum Vasquio numer. 16. dico de Angelo, qui & ipsa quantitate, & extremitate caret.

Affirmatio VI. Non est negandum, Deum esse in spatiis loci etiam vacuis, atque etiam intra illa, si quæ dentur. Negare hoc quidem videtur. Vasquez loc. cit. num. 12. vbi negat, Deum, aut Spiritum intra superficiem vacuum esse posse, & ipsam replere. Idem dicit; Si cœlum aliquod medium annihilaretur, aut nubes mundus hanc ambiens reliquo in medio intervallo, conderetur. Quod quidem dupliciter asserti potest, nimirum ut sit vel quæstio nominis tantum, vel etiam rei. Rei quidem erit, si quis dicat, existentiam Dei finiri & determinari illa superficie ambiente vacuum, adeoque Deum extra superficiem intra illud vacuum, nullo modo existere, nec in se quidem; sed prorsus excludi ab illo spacio. Et hoc videtur incredibile, & plane alienum ab immensitate Dei, in Scriptura ac Patribus ita predicata, vt negent Deum eiusque existentiam ullis locis aut spatiis locorum terminarum posse, vt dictum dub. præcedent. Et eum spiritus in tali vacuo esse ac permanere possit, annihilato v. g. corpore, quod antea erat in illo spacio, cur non etiam Deus? Accedit, quod hac ratione præsentia Dei futura esse discontinua, utpote aliquo spacio interrupta & intercepta. Neque vero existimo Vasquium, & alios Authores eam assertionem hoc sensu negare.

Nominis autem quæstio erit, si tantum de vobis, spatiū replere, aut in spacio esse, quæstio sit. In qua etsi Deus non dicatur spatiū hoc propriè replere, cum quantitate careat, & spaciū illud nihilominus simpliciter vacuum dicatur, suamque capacitatē continendi aliquod corpus, refineat, vt dictum etiam dub. præced. assert. 6. non tamen video, cur negetur illuc, siue in eo spacio Deum esse. Cum enim vacuum, iuxta Aristotelem 4. Physic. sit locus carens corpore, & locus sit aptus capere corpora, non quia iam antea plenus est, sed potius, quia carens est alio corpore; nec sane illa ratione negari possit, si quod datur vacuum adæquatū alicui corpori, id vel maxime aptum fore, vt corpus infra illud existat; cur negabimus, in eo, seu intra illud, existere posse Spiritum, adeoque etiam Deum? Quod si potest, fatendum etiam pariter erit, re ipsa ac necessario tunc in eo existiturum esse Deum si daretur.

Atque eadem est sententia non solum Auctōrum primæ sententiae, sed etiam Bonaventura cit. dist. 37. punc. 2. artic. 1. quæst. 2. vbi ait: Objetit autem aliquis sic: Intelligamus, corpus egredi à loco, nullo introeunte; tunc ramaret vacuum. Aut ergo ibi est *DEVS*, aut non. Si sic: ergo in eo est, quod nihil est; quod nullum est dicere; si non est; & ibi prius fuit; ergo videbitur esse mutatus, saltē per accidentem. Ad hoc respondeo,

inquit,

inquit, quod si per impossibile penatur, locum evacuari, tunc remanere intelligitur capacitas loci priuata: capacitas aliquid est, & in illa DEVS est, priuatio autem nihil est; & in illa DEVS esse non potest. Vbi videtur duo distinguere in illo loco, videlicet ipsam priuationem corporis, seu vacuitatem per se nude spectatam; secundo, vacuum in concreto, seu capacitatem illam superficie ambientis, ut apta est continere locatum: in illa vt sic, negat Deum esse; in hac affirmat. Idem cum eadem distinctione video nunc etiam tradi à Gillio lib. 2. tract. 9. cap. 19. num. 3.

Idem plane supponit S. Augustinus l. c. nimirum absurdum esse, vlla ponere locorum spatia, in quibus Deus præsens non adsit. Idem significat S. Thomas hic q. 8. a. 2. cum docet, Deum esse ubique, adeoque in omni loco, etiam vt locus est; hic autem de quo loquimur, locus est, Ergo.

Neque verò contra hanc assertionem procedunt argumenta superius facta contra spatia imaginaria: istud enim est verum & reale spatium; imo & verus locus: rectè ergo dici potest, ibi & in illo aliquid esse. Atqui, dices, etiam illa vacuitas intra superficiem contenta, est merum non-ens, adeoque vel negatio pura, vel certe priuatio. Ergo in illa nihil est, aut esse potest, vt supra argumentabamur. Respondetur, aliud esse vacuum, aliud vacuitatem: nos dicimus in vacuo, & intra vacuum esse Deum, non in vacuitate, vt loquuntur etiam Bonaventura & Gillius loc. cit. quamquam & hæc non potest esse, nisi nominis questio.

Assertio VII. Deus absque omni sui mutatio-  
ne reali, & omnia, si qua de nouo dantur spatia,  
& loca replet; & priora, si desinat esse, deserit,  
per solam ipsarum rerum immutationem. Est  
extra controversiam apud cit, & asseritur à Iustino  
Martyre dial. cont. Tryphonem, & à S. Au-  
gustinolib. 7. de ciuit. Dei c. 30. & l. 16. cap. 5.  
Ratio sumitur, tum ex dictis dub. præcedent. vbi  
docuimus, præsentiam Dei, in loco aut rebus  
creatis nihil reale superaddere, Dei existentia

in seipso, sed solam denominationem extrinsecam; tum ab immutabilitate DEI, de qua quæst. seq. Vnde patet, errorem esse dicere, Deum in se ideo mutari, quod in his, aut illis rebus, seu locis esse primum incipiat. Seus est, si loquamur de mutatione relationis rationis, sive denominationis extrinsecæ, qua nép respectus quidam extrinsecus præsentie variatur, vt recte Vasquez loc. cit. num. 28. Idem fit in denominationibus, quæ sumuntur ab actione DEI transiente.

Vnde colligitur, etiamsi totum hoc vniuersum localiter moueretur, secundum lineam rectam, (quod negant fieri posse Bannes hic artic. 2. & alij quidam recentiores, nisi ponatur extra hoc vniuersum realis quidam terminus, unde sumit distanciam noua, per motum acquirenda; a quibus dissentit Vasquez à numer. 25.) aut etiamsi Deus nouum mundum crearet, hoc destructo, tamen Deum nequam de loco in locum motum iri: quidquid sit de extrinseca denominatione in priore casu; in quo etiū concedant nonnulli, Deum per accidens, & extrinseca denominatione motum iri, ita vt in Deo solum respectus quidam extrinsecus præsentia & distantia varietur; rectius tamen negat Vasquez à numer. 25. quia DEVS cum sit non solum ubique, sed etiam extramundum in seipso, à re nulla diffare potest. Præclare hac dñe S. Bonaventura citat. quæst. 2. Cum res, inquit, priuatur (seu definit esse) auferetur comparatio eius ad Deum: sed cum res mouetur, DEVM non dimittit, nec ad DEVM accedit: nec DEVS ad eam reuenit; quia sic est in re, vt si extra rem idem. Ideo nec res unum dimittit, nec nouum inuenit. Et hoc est intelligibile, si quis potest intelligere, quod DEVS sit immensus, simplex, & infinitus. Quia enim est immensus, ita est intra, quod extra: quia simplex, secundum unum & idem, est intra & extra: quia infinitus, ideo nec dimittitur, nec acquiritur aliud in re: nec ab ipso iter ad ipsum, cum dimittitur, vt alibi & alibi inueniatur.

## Q V A E S T I O V.

### De Immutabilitate, Aeternitate, & Unitate DEI.

S. Thomas i. p. q. 9. 10. 11.

**H**ec tria itidem attributa paucis expediti possunt; qua proinde una questione complecti-  
musr. Absolutetur verò hec quæstio tribus dubijs. I. An & qua ratione proprium Dei at-  
tributum sit esse immutabilem. II. In quo consistat attributum eternitatis; & qua ratio-  
nesit proprium Dei. III. An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse unum.

#### D V B I V M I.

*An & qua ratione proprium  
DEI attributum sit, esse im-  
mutabilem.*

S. Thomas i. p. q. 9. a. 2.

D iversitas mutabilitas in præsenti distingui po-  
test; vna physica & realis, qua quid à par-  
te rei, ac in se ipso aliter se habet nunc, quam an-  
tea; altera moralis, in quadam animi inconsitan-  
tia, & propositi mutatione consistens; etiam omni physica & reali mutatione seclusa: de vtraque  
breueriter agendum.

Assertio